

//
2.
3
4.
5.
6
7
8



1688.

1. Barth, Godefridus: De beneficio ab hinc usque hereditatem
paterna ad effectum exigenti dolum promissam. Rec.

1747.

2. Berger, Christian Godefridus: De anno intercalari.

3. Feil Ferber, Carl Theodorus: De stipulatione tertio

facta.

4. Glaserus, Hieronymus Fridricus: De circumdactioe

termini.

5. Jacobi, Christianus Benjamin: De curatore mulieris

Saxonicis. 2 Exempl. 1688: 1717.

6. Ludovici, Christianus: De officio delinquentium
instructio poenarum.

7. Menckenus, Luederus: De lege commutatoria
jure reprobata. 2 Exempl. 1688: 1737.

8. Menckenus, Luederus: De impunitate conatus
in delictis. 2 Exempl.

1688.

9. Moenius, Johannes: De variis leserarum veteribus
usurpatarum generibus. 18
10. Mylius, Auren: De exceptione excessionis extranea
potestati competente. 19
11. Mylius, Auren: De provasallo. 20
12. Mylius, Auren: De iuribus circa musicos
ecclesiasticos. 21
13. Philippus, Fridorus: De praescriptione immunitatis
a tributis. 2. Sect. 1688: 1745 22
14. Prutius, Jo. Gero: ΠΣΥΤΟΥ ΨΥΔΟΣ seu primus
falsum Thomae Hublerii. 23
15. Rechenberg, Adamus: De strategematibus politicis 24
16. Rechenberg, Adamus: De mutatione formae status
que 1. Imperii R. Germanici. 25
17. Redel, Carolus Andreas: De defensione sua
adversus aggressorem. 26

1688

18. Redel, Cornelius Aureus: De jure mentis coactae
19. Schreiter, Christophorus: De divisione rerum
Communium. Dep. I. Praeliminaria divisionis
20. Schrencken doerfferus, Barthel. Leonhardus: De bonorum
De communiore bonorum conjugali
21. Seuff, Cornelius Samuel: De antiquis funebribus
veterum.
- 22^{a. et} - Thomasius, Christianus: De sponsione Ro-
manorum Numantina
1 Seuff. 1688: 1731.
23. Istius, Gullicus Gerhardt: De obligatione ex
testamento imperfecto.

1888

1888

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page]



170.

1688, 18

5
22

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MORALIS,
De

JURAMENTO COACTO,

Quam
Inclytæ Facultatis Philosophicæ
indultu

In Academia Lipsiensi

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
subjiciunt

PRÆSES

M. CAROLUS ANDREAS

Redel / Hallensis Saxo,

&

RESPONDENS

JOHANNES GEORGIUS MÜLLERUS,

Dresdensis Misn.

Philos. & LL. Studiosus,

Die VII. Julii Anno M. DC. LXXXIIX.

In Collegio Principum Majori.

TYPIS GOEZIANIS.



VIRIS
MAGNIFICO, PRÆNOBILISSIMIS, EX-
CELLENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, ATQVE
CONSULTISSIMIS,

DN. ADAMO CHRISTO-
PHORO JACOBI,

Hæreditario in *Fessen / Zseula / & Nieder-
Zehre / Jcto*, ac Serenissimi ac Potentissimi Electoris
Saxoniae Appellationum, & Consistorii Ecclesiastici supremi
Consiliario, nec non Reipubl. Dresdens.
Syndico, &c.

DN. *Graugott* DIETRICO,
Serenissimi ac Potentissimi Electoris
Saxoniae à Secretis Imperii intimo,

*Dnn. Patronis, Mæcenatibus, atq; Pro-
motoribus, devoto submissionis animi cultu
etatem devenerandis,*

Has de Juramento Coacto pagellas

in

*Humillimam observantiae debitæ declarationem, ac sui
suorumq; studiorum commendationem*

offert


AUTOR-RESPONDENS

JOHANNES GEORGIUS MÜLLERUS,
Dresdens.



B. C. D.

PROOEMIUM.



Vanta juramentis insit religio,
& quantoperè constringat jurantium
conscientias jusjurandum, notum qui-
dem maximè illis est, qui usum ejus
genuinum servant & observant: sed
neque ignotum est iis, qui eum miris
modis pervertunt, evertunt. Illi jura-
mentis ad promovendam DE I glori-
am, hi ad ampliandam nequitiam, illi ad tranqvillandam, hi ad
onerandam conscientiam utuntur, abutuntur. Et quis est, qui
malitiæ tantæ modos determinare aut enarrare queat? Hoc
certum, cum sciant omnes, fortius non ligari posse mortalium
conscientias, quàm juramentis, improbissimi quoque homines
eò improbitatè suâ feruntur, ut juramentis vi metuque injusto
extortis malitiæ suæ prospicere curent. Ubicunque enim vi-
dent propter iniquitatem causæ suæ alterum non posse eò adi-
gi, ut spontè præstet, quæ præstari sibi volunt jubentque, mi-
nantur mortem, comminantur vulnera, & nescio quæ mala,
nisi alter juret in ea omnia, quæ ab eo nefariè exigunt. Ita pan-
dere conantur nequitia suæ portas, qualicunque tandem juris
divini & humani obice occluduntur; Ita progredi in injusti-
tiæ & usque adeò impietatis suæ via quærun, quibuscunque tan-
dem conscientia nutibus ab ea revocantur. Quem adeò fu-
geret latronum aliorumque impium genius, detestabilis ille a-



nimi furor, quò jus fasque piùmque contemnunt? Illi verò cum videant non eadem æstimatione & se & alios religionem metiri, atrocissimis minis juramenta ab iis extorquent, & quæ furor & libido suggerit, exposcunt. En ergò, quomodo sanctissimus juramentorum usus ita evertatur! Quanta verò circa talia juramenta oriri possint difficultates, quanta dubia, quanti scrupuli, nemini sanè erit ignotum. Nos in præsentì ad talia juramenta ponderanda flectimus animum, & solliciti sumus rationem eorum pro modulo ingenii nostri vili & exili exponere: Quod tamen ut eò melius fieri possit, utile, si non necessarium, esse duximus, ut tribus hanc totam materiam includamus capitibus. PRIMUM de NATURA Juramenti coacti sive vi metuque injusto extorti, ubi ejus essentiam sumus explicaturi, ad quæstionem quid sit. SECUNDUM de MORALITATE ejusdem, ubi determinabimus quale sit, an bonum, an malum, & an & quando propterea Juramentum tale sit præstandum, quando non. TERTIUM de OBLIGATIONE, an & quando, si jam fuerit præstitum, obliget, quando non. Faxit DEUS omnia cedant & procedant feliciter!

CAP. I.

De

JURAMENTI COACTI NATURA.

Quoniam nominis interpretatio ad rei ipsius cognitionem non parum conferre solet, præmittamus oportet expositionem terminorum, antequam ad rei ipsius deductionem pergamus; Quia enim à notioribus ad ignota pergendum est ei, qui rem aliquam explicare vult, consequens est, ut in ipso quasi vestibulo statim declarentur eæ voces, quæ subjectum, de quo tractatus instituitur, significant, ut iis benè intellectis tota procedat Disputatio: inquit *Guil. Grot. de princ. Jur. Nat. c. 1. §. 1.* quod & nobis dictum putamus. Quia verò

verò terminus Juramenti coacti est grammaticè complexus, voce juramenti & coacti constans; Videndum erit igitur primùm, quid sit juramentum, deinde quid sit coactum, ut ita tandem quid sit juramentum, coactum elucescat. Ex quibus patet, nos non immeritò hujus capituli constituere posse duo Membra: Unum *Onomatologicum*, de nomine, alterum *pragmatologicum*, de re ipsa.

MEMBR. I.
Onomatologicum.

§. I. De primo termino Juramenti notamus ante omnia *Etymologiam*: notum verò, quòd juramentum sit vox latina, à Seneca & JCtis sæpè, imò verò sæpissimè usitata, deducitur à verbo jurare, jurandi verò verbum à jure derivatum est: uti notavit *Thom. 2. 2. quest. 89. art. 1.* & idem est ac jure aliquid firmare, atque ita sanctè promittere, quasi jus esset, quia quod juramento asseritur aut promittitur, instar firmissimi Juris seu decreti habere debet. Jure introductum est, inquit *Sayrus cas. consc. l. 5. c. 1.* ut dicta sua & facta homines juramento confirmant, ut deniq; jurent, quia qui jurat, perinde facit firmum id, quod jurat, ac si esset ipsum jus. Id enim quod juratur pro lege habendum, & veluti jus sanctè servandum. Alii malunt jurare idem dicere, ac Jovem orare, vel testem invocare, ut ita juramenti natura non incongruè exprimatur. Qui verò vocem juramenti deducere vult à jure, quod faciunt *Sayrus l. c. Lessius de Jur. & Just. l. 2. c. 42. dub. i.* & cum iis quamplurimi, quia Juramentum instar juris habendum, nam qui utitur juramento, jus veritatis reddit Deo, cui propriè competit patrocinium ferre veritati, suoque testimonio veritatem stabilire, quorsum procul dubio respexit *August. Serm. 28. de verb. Apost. super verb. Jacob. 5. nolite jurare.* Quid est jurare, inquit, nisi jus reddere Deo, quando per Deum juras: Ille neque nos habebit dissentientes, modò distingvat inter derivationem juramenti mediatam & immediatam, sic enim à jure dicitur jurare, & ab hoc juramentum.

§. II. *Synonymiam*, ut paucis etiam percurramus Græcis Juramentum dicitur ὅρκον & ἄπο τῆς εἰργεῖν includere, quia per juramentum conscientia intra certos quasi limites includitur & constringitur. Eòdem recidit, quando *Lessius* dicit ὅρκον quasi ἔρκον, & septum firmum, extra quod non licet procedere, nullum namque vinculum ad

adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt, in-
quit Cic. l. 3. de offic. Latinis dicitur Jusjurandum, quasi dicas Jovis ju-
randum, uti & expressè à Cic. l. c. dicitur alma fides Jovis jurandum.
Petrus de Arragon. 2. 2. q. 89. art. 1. adnotat vocabulum juramenti na-
tum esse post tempora Ciceronis, & pro eo frequentatum fuisse termi-
num jurisjurandi: de quo tamen videant Grammatici. Item Sacra-
mentum. Vegetius l. 2. de re militari scribit: Milites jurare solent, &
ideo militiæ sacramenta dicuntur, quâ de causa ipsi milites Sacramen-
tarii appellabantur, ex eo scilicet, quod se sacramento, h. e. juramento
ad fidelitatem obligabant. Eodem significatu utuntur hæc voce Tac.
l. 1. Sveton. in Cæs. Cic. l. de Orat. meritò autem ita appellatur, quia
juramentum aliquid religiosi est, & actus religionis, quò Deo honorem
deferimus, quem tanquam infallibilem veritatem in alicujus rei con-
firmationem & testimonium adducimus. Unde Cic. l. 3. offic. Jusjuran-
dum, inquit, est affirmatio religiosa. Germani dicunt: Ein Eyd / Ed/
respicendo ad Ebraum 77 Testimonium; vel germanicum Ein / h. e.
unitum cum eo, qui verè unus est: Item ein Schwur / quasi ein schweer
Ding. Vid. Magnif. D. Olear. Discurs. ad Tab. suas Theol. moral. tab. 27.

§. III. Est verò insuper vocabulum juramenti *equivocum* &
accipitur vel *improprie* vel *proprie*. *Improprie* gravem aliquam civi-
lemque obtestationem, quâ solemus res nobis gratas ad faciendam fi-
dem quasi pignora interponere, significat: quales sunt, quando Joseph
Jurat per vitam Pharaonis. Gen. 42. v. 15. Elisæus, per animam Eliæ.
2. Reg. 2. v. 4. Juramentum autem *proprie* acceptum, non nisi per no-
men numinis divini fieri potest, quæ significatio etiam est hujus loci.

§. IV. Alter terminus est coacti, qui dicitur à cogendo, & cor-
respondet in vito aut violente, quibus terminis moralistæ sæpius pro-
miscuè utuntur. Consvēvit verò *violentum* dici vel *physicum*, quod fit
contra inclinationem corporis: vel *ethicum*, quod fit contra inclina-
tionem animi. Sic in eo, qui è puteo, in quem cecidit, extrahitur, est
violentum physicum, fit enim illa extractio contra inclinationem cor-
poris, gravia tendunt deorsum. Non verò *ethicum*, nisi enim fuerit
stultus, haud reluctabitur ut extrahatur. Et in posteriori hac signifi-
catione *violentum* est hujus loci. Quemadmodum enim licentia in
excessu, ita coactio in defectu adversatur voluntati. Jam vero *Co-*
actum strictè tale dicitur, quando aliquis ab extrinseco principio va-
lidio-

lidiore adigitur, membra sua applicare ita, ut aversationem & dissen-
sum suum signis ac præcipuè renitentia corporis significet. Exempli
causa *Arist. Nicom. 3. c. 1.* affert: Si ventus aliquò, aut homines qui po-
testatem habent, nos detulerint. *Minus propriè tamen invitum* seu
coactum illud quoque dicitur, quando incumbente graviori necessita-
te aliquid tanquam minus malum eligitur & suscipitur, à quò aliàs ho-
mo extra necessitatem talem constitutus vehementer abhorrebat. *Vid.*
Pufend. l. de J. N. & G. l. 1. c. 4. quemadmodum ita se res habet cum
mercatoribus imminente procellâ, ut vitam servent, merces ejicien-
tibus. Solent hæ actiones vulgò mixtæ vocari, quasi ex spontaneis
& in vitis conflata. *Becmannus in Moral.* dicit tale *coactum in causa*
tantum; tum ut contradistingvat illud coactum in se, quando quis in-
tali statu versatur in præsens, ut vim illatam repellere nequeat, in cul-
pa tamen fuit, ut in istum statum, veniret; & coactum in se, & in causa
sua simul, quando etiam aliquis nec in culpa fuit, ut in talem statum,
quò per vim ad aliquid cogi posset, perveniret: tum ut innuat, actio-
nes hæc coactas aut invitas reverà voluntarias seu liberas manere, li-
cet non eundem libertatis gradum habeant, quò aliæ gaudent, quæ & in
se & in causâ suâ liberæ sunt. Et in tali significatione nos hoc loco præ-
cipuè accipimus terminum coacti seu violenti.

§. V. Ex his verò patet, nos intelligere tale juramentum, ad
quod quis præstandum invitum cogitur, aut quod vi ab aliquo extor-
quetur. Unde etiam à plurimis dicitur *juramentum vi metuque in-
justo extortum*. Notanter additur injusto, eò enim unicò vocabulò,
ceu optimâ exegefi, tollitur illa *ambiguitas*, quâ pro juramentò co-
acto posset haberi illud, quod magistratus publicâ suâ, quâ pollet, auto-
ritate imponit iis, qui fustigantur: Quamquam enim quidem omne
juramentum vi metuque injusto extortum sit coactum; interim tamen
omne juramentum coactum non statim est vi metuque injusto extor-
tum. Ut proinde monendum sit, nos, quando hîc loquimur de jura-
mento coacto, paulo arctiùs hunc terminum restrinxisse, ut jura-
mentum coactum nobis idem sit ac juramentum vi metuque injusto extor-
tum. Quale v. g. est, quod exigit latro mortem minando, ut ipsi juratò
promittas magnam pecuniæ summam.

§. VI. Antequam verò planè plenèque missam facimus hanc
paginam, verbò adhuc tangemus *errorem vulgi circa hanc materiam*,
quan-

quando pro juramento coacto habere solent, quod magistratus publica sua auctoritate exigit a litigantibus in foro, quia nullum aliud ad sedandas lites suppetit medium, unde enatum commune illud effatum. *Gezwungen Eyd/ist Gott leid.* Cum tamen rectissime informentur a Theologis, potius tale juramentum pertinere ad cultum divinum, & precepto secundo esse sancitum, ita ut peccet is contra illud graviter, qui a tali juramento se subtrahere velit tum, cum veritas aliter in lucem protrahi nequit.

MEMB. II.
Pragmatologicum.

§. I. His ita premissis, facile apparet, quid sit juramentum coactum, de quo omnis nostra instituitur disceptatio. Hoc tamen antequam plenius deducamus, placet quaedam premittere *de τῷ ὄτι seu Existentia*, dari juramentum coactum. Quemadmodum verò omne juramentum, adeoque multo magis coactum, quia vitium est in imponente, a statu integro erat alienum, & locum tantum invenit in corrupto: Homo serpenti mendaci credens, factus est ipse mendax; ac proinde meritis est, ut ejus dictis fides derogeretur, quæ derogatio, ne inter hominum commercia lites immortales sereret, provisum est, ut quod per peccatum ablatum est, per juramentum suppleretur. Sicut itaque si homo innocens mansisset, nulla bella gessisset, ita nec juramentum jurasset. Traxit enim juramentum ortum suum maximè ex defectu nostro, quatenus in statu hodierno corrupto de promittente est suspicio fallaciæ & perfidiæ, penes eum cui promittitur incredulitas & dubitatio. Ut tolleretur itaque utrumque, medium erat quærendum, quod feliciter in juramento inventum est. Jam verò cum controversiæ, suspicio, fallaciæ & perfidiæ, item dubitatio & incredulitas in solum cadant statum corruptum, facile patet remedium quoque ipsorum, nempe Juramentum, quoad ortum suum cadere in eundem; Vi hujus argum.

In quocunque statu originem traxerunt controversiæ, suspicio, fallaciæ, perfidia, incredulitas, in illo quoque originem traxit Juramentum, tanquam eorum omnium remedium.

Atqui in statu corrupto originem &c. *E. Vid. Magnif. Dn. D. Alberti Comp. Jur. Part. 3. c. 6. §. 38.*

Quemadmodum, inquam, omnia juramenta sunt statui corrupto propria;

pria; ita difficile nobis haud foret ostendere, quod juramenta coacta saepius in hodierno statu corrupto extorqueri queant. Quamquam enim in moralibus interdum fingere solemus, quid fieri possit, & in iis, quid fieri deceat, speculamur: interim tamen exempla ejusmodi juramenti suppetunt. Unum *Svetonius describit in Caesare*. Ubi ipse Caesar, incidens in praedones, coactus fuit juramento iis pro redimenda vita certam pecuniae summam promittere. Aliud commemorat *D. Steuberus de Consc. c. 4. q. 1.* de latrone sub juramenti fide postulante, ne scelus à se patratum magistratui aut ulli alteri mortalium reveletur. Ex his, & quod non cesset malitia hominum, facile evinci poterit, dari talia juramenta.

§. II. *Essentiam* verò Juramenti coacti declarabimus per definitionem, quam formamus sequentem: *Juramentum coactum est juramentum, ad quod, super re inique postulata, praestandum, aliquis ab aliquo vi metuq; injusto, ut illam declinet, compellitur.* Ut brevem horum verborum commentariolum subjiciamus, patet nos in hac definitione expressisse tum genus, tum differentiam. Generis loco ponitur vocabulum juramenti, differentiam absolvunt reliqua verba. De singulis breviter.

§. III. Agemus primò *de genere*, quod diximus esse *juramentum*. Sic enim juramentum coactum, quod ipse terminus indicat, est species juramenti. Juramentum autem à variis variè describitur. *vid. Beust, de Juram. p. 17.* Definiente Jesuita *Lessio. l. 2. c. 42. dub. 1. de Jure & Justit.* Juramentum est attestatio divini numinis, vel invocatio divini testimonii, ad fidem faciendam, vel promissionem firmandam. *Aristotele: Rhetor. c. 27.* est Dicitio probationis expers, cum divina veneratione. *Danbauero: colleg. decal. p. 497.* est assertio, quâ probamus nostrum pronunciatum, factâ numinis religiosâ appellatione. Aliis: Est actus cultus divini necessarius, quò invocatò divino numine, tanquam veritatis teste ac vindice perjurii, aliquid confirmatur. Quicquid verò sit de diversitate verborum, in eo conveniunt omnes definiendo, ut formam & rationem juramenti ponant in seria divini numinis invocatione & testificatione, quandoquidem omne juramentum est invocatio divini numinis in testimonium; Sicut jurare nihil aliud est quam Deum in testem invocare. Consistit a. illa invocatio ut ritè explicat *Valentia 2. Disp. 6. Q. 7. punct. 1.* ut jurans, quantum

B

in

in se est, velit, cupiat Deum manifestare id, quod est ab ipso scitum & verum. Ita enim Deus invocatur testis, nos serio & verè ita agere, præterea verò etiam ut vindex, nempe perjurii. Natum quippe Juramentum, præterquam quod originem trahat ex defectu ex parte nostra, etiam ex perfectione Dei: stat enim à parte Dei in juramento summa illa perfectio, quatenus eum in præstandis juramentis intuemur ut omniscium non tantum, qui exactissimè novit, quid, & quò animò promittamus, penetretque tum in voces, tum ut καρδιογνώστης in animum promittentis; sed etiam ut justissimum & acerrimum vindicem perfidiæ. *Vid. Magnif. Dn. D. Albert. l. c.* Nam cum juramentum in rebus maxime dubiis, & extra omnem aliam probandi vim longissime positis, adhibeatur, nihil nisi divinum numen, summus ac infallibilis rerum abstrusarum testis, citari potest; quia nihil aliud omniscium aut omnipotens, adeoque omnium testis & ultor existit, crediturque.

§. IV. Fluit verò ex his spontè *discrimen inter juramentum & orationem*, quæ etiam divini numinis invocatio est. Per hanc enim nomen divinum invocatur, petendi gratia ab eo auxilii tanquam à misericordè & omnipotente; ast per juramentum petitur, ut tanquam testis infallibilis & omniscius testetur jure jurando affirmatum, & tanquam justissimus iudex & vindex sit ultor perjurii. *Vid. Sanchez. op. moral. l. 3. de præc. Decal. 2.* Hæc ideò paulo prolixius h. l. præmittere placuit, quoniam infra in quæstione de moralitate & obligatione non parum exinde lucrabimur: tenendum enim, quod ea forma juramenti in genere, non possit esse aliena à Juramento coactò in specie, ita ut is, qui, adactus vi & metu, tale juramentum præstat, Deum invocet in testem vocum & mentis suæ, quod verè ita sentiat, quemadmodum ore externo profiteretur, & insimul in vindicem atrocissimum omnis falsitatis, fallaciæ & perjurii.

§. V. Exposito genere pergimus *ad differentiam*. In qua expressimus 1.) *Objectum*, his verbis: *super re inique postulata*, qualiscunque tandem illa sit. Loquimur enim universalissimè, sic enim res illa, super quâ juramentum coactum præstandum erit *vel possibilis vel impossibilis*, & iterum *possibilis & impossibilis vel naturaliter, vel viribus, vel moraliter*. Quæ distinctio vel maximè hîc attendenda. Est autem *impossibile naturale*, quod naturæ hujus vel illius est impossibile; sic naturæ humanæ impossibile est volare, quamvis non naturæ avium:

Ex

Ex quo sponte patet, quid sit *possibile naturale*, nimirum quod vires naturæ alicujus non excedit. *Impossibile viribus* est, quod mihi in individuo, quamvis non toti speciei est impossibile; sic egeno impossibile est solvere tonnam auri, quamvis non diviti; unde *possibile viribus* erit, quod mihi in individuo factu est possibile. Denique *impossibile moraliter* est, quod fieri non licet, quia propter turpitudinem ethicam, aut inhonestatem est impossibile; quale est scortatio, homicidium, ea enim lege prohibentur: *possibile moraliter* est, quod fieri legibus non est interdictum. Addimus tamen *iniqve postulata*. De re tripliciter impossibili res est clara, neque difficile, iniquitatem postulationis ostendere. Quæ enim æquitas, quando latro te injustâ vi adigit, ut promittas ei magnam pecuniæ summam, quam ipsi nullo modo, nullo jure debebas? Ex quibus clarum est illud, quod tali juramento exigitur, haberi ab eo, qui juramentum tale præstare debet pro malo; Inde enim difficultas illa, inde coactio, quia voluntas sibi relicta semper prosequitur bonum, averfatur malum.

§. VI. 2.) *Subjectum*, quod est duplex, vel *impellens seu cogens*; iste nimirum, qui juramentum tale extorquet, sive sit latro, sive sit alius quis, modo sit talis, qui alterum ad juramentum præstandum violenter cogit. *Vel patiens*, quod est iste, qui ad tale juramentum præstandum invitatus adigitur, sive sit persona publica sive privata. 3) *Formam* quæ consistit in eo, *quatenus vi metuq, injusto jurans compellitur*. Sic enim vis injusta est ex parte subjecti impellentis, unde juramentum coactum, respectu hujus, non incongruè dicitur coactum aut violentum: Vis autem illa injusta patet inde, quatenus iste, qui juramentum tale à te extorquere vult, vel plurima, vel omnia bona, vel corpus alterius affligere, aut perdere minatur; cum tamen hæc omnia minimè sint in ejus potestate naturali. Notanter dicimus morali, quamvis enim quandoq; vita & bona alicujus sint sub potestate alterius naturali, ut iis nocere queat, interim tamen non subsunt ejus potestati morali, quale enim latroni competeret jus in vitam & bona alterius. Adest verò etiam metus ex parte patientis, isque vel mortis, vel eorum omnium, quæ atrocissimis minis alter ipsi infligere profitetur: Ita enim differt à juramento doloso, quod fraude & dolo elicitur, quale erat Gibeonitarum, in coacto autem apertè & apertâ vi agitur. Unde juramentum tale respectu patientis dicemus invitum. Notandum tamen talem metum nos h. l.

intelligere, qui cadere queat in virum constantem; & ut explicatius dicamus: metus mortis, cruciatus corporis, amissionis omnium, vel plerorumque bonorum. Non enim temerè, si alia via patet, uti in omnia juramenta, ita multò minus in coacta est consensendum.

§. VII. 4.) *Finem, ut vim intentatam à se avertat.* Quamquam enim illud quod tali juramento confirmare debet, nec bonum est, sed malum, nec ut bonum à jurante cognoscitur, sed potius malum ab eo judicatur, unde nunquam tale juramentum præstitisset, nisi in tali rerum necessitate & angustia positus fuisset, interim quia in respectu ad alterum, quod aliàs sibi expectandum foret, minus malum est, induit naturam boni, (ut stylo Grotii loquamur) adeoque ad fugam majoris mali apprehenditur; idque secundum naturam actionum mixtarum, ad quas non immeritò juramentum coactum referimus. Quemadmodum itaque de actionibus mixtis notum est, quod ea ferantur in minus malum, ad majus evitandum; ita mercator imminente procellâ perdit merces, ut servet vitam; similiter, qui latroni juratò promittit magnam pecuniæ summam, pro redimenda vita, eligit minus malum, nempe jacturam pecuniæ, ceu boni externi, præ majori jactura vitæ ceu boni interni longe maximi, cujus, quanta sit excellentia, patet ex *definitione Grotiana*, quando vitam dicit esse: *Bonorum omnium temporalium fundamentum, & æternorum occasionem.* Tenendum tamen, non semper reverà tale minus malum esse, quod eligitur, sed tanquam minus malum cognosci, sic si adigeretur aliquis metu mortis eò, ut juraret se alterum interfectorum, putaret, jacturam honestatis minus malum esse jacturam vitæ, quod tamen non est: periunde, ac sicuti Apostatæ putant, jacturam vitæ cœlestis minus malum esse, jacturam vitæ temporalis.

§. VIII. Quando verò juramentum coactum retulimus ad naturam actionum mixtarum, clarum est, quænam in eo sit ratio voluntatis de quâ alias tanta lis & disceptatio esse solet propter obligationem, quam ideo dicunt nullam, quia voluntas non adfuerit. Scilicet quoniam ad notavimus adesse h. l. minus malum, patet sponte *voluntatem esse non-plenam*, cum mixtura actus nolendi & volendi. Quia verò voluntas duplici sensu non-plena dici consuevit, 1.) *ratione antecedentis intellectus*, cum intellectus ob impedimenta non potuit sufficienter in circumstantias aut objecta inquirere; qualis est ebrii, gladium possentis, quò alterum interficit. 2.) *ratione sui ipsius*, quando non in-

bo-

bonum in se, sed malum, prout minus malum est, fertur; notandum est: nos h. l. voluntatem dicere non-plenam, ratione sui ipsius, quia eligit minus malum propter declinationem majoris. Insuper verò etiam observandum, à se invicem distingvenda esse *momenta temporis*, secundum quæ aut actio mixta, aut in specie h. l. juramentum coactum, *spectatur vel in fieri, vel in facto*: si spectetur in fieri, tunc illa actio est invita, sin autem in facto tunc non plane invitam, sed potius spontaneam eam esse patet inde, quia ubicunqve est electio, ibi non plane est invitum.

§. IX. De moralitate & obligatione juramenti coacti constituimus in peculiaribus duobus capitibus agere, unde hanc materiam, usque ad illum locum, reservabimus nobis integram. *Species* autem ejus, seu *divisionem* quod attinet, patet illa per applicationem earum, quæ aliàs in juramento in genere sunt receptæ; ita ut species juramenti coacti possit esse *affectorium* & *promissorium*, divisione factâ *intuitu objecti realis*. *Affectorium*, de facto commissio aut præterito. v. g. quando dominus cogeret servum, ut juret, an Petrus hoc vel illud fecerit; & maritus uxorem, ut dicat, an adulterium commiserit. *Promissorium*, si aliquis cogitur, ut juramento promittat, se aliquam ducturum in matrimonium. *Ratione modi*, aliud juramentum coactum foret *simplex seu contestatorium*, cum Deus simpliciter invocatur in testem, aliud *execratorium seu imprecatorium*, quando verba juramenti non tantum exprimunt invocationem Dei in testem, sed etiam voluntatem, quæ jurans se, vel sua, divino judicio offert, ut in iis Deus ulciscatur, si falso illius testimonium invocaverit. Atque ita Deus in hac jurandi formula expressis verbis adducitur pariter in testem veritatis, & in jurantis vindicem, si non ita sit; uti explicat *Sanchez. op. moral. l. 3. c. 1.* talia verò ut plurimum esse solent juramenta coacta: Quia enim de illis valde sibi metuit latro, & dubius semper hæret de fide jurantis, fortioribus verbis constringendam esse conscientiam ejus existimat.

§. X. *Oppositum* juramenti coacti est *duplex*; tum juramentum, quod *plenâ voluntate* & *spontaneò spiritu* præstatur; tum *perjurium*. Quamvis enim, si naturam juramenti in genere spectamus, juramenta illicita sint ea omnia, quæ aut dolò impetrata, aut vi extorta sunt, interim tamen propterea juramenta esse non desinunt, & perjurii reus is æquè censendus, qui juramentum tale, quàm qui plenâ voluntate præ-

ritum violavit. Perplacet itaque *ἀνεύθετα* nonnullorum, qui *discrimen* agnoscunt *inter juramentum illicitum, & de re illicita*. Juramentum illicitum non statim est de re illicita: Sic enim coactum est illicitum, quis dubitet? non tamen statim de re illicita. Tale enim est, quod jurandi contractum in *ἰδενότητι* convertit, utpote juramentum de re impossibili, inhonesta; & hoc obligationem tollit, illud non. Admittitur verò perjurium, vel, quando, quod falsum est, ac tale esse constat, jurejurando nihilominus confirmatur contra propriam conscientiam, quæ perjurii species adæquatè opponitur juramento coacto assertorio. Vel, quando id, quod promisimus juramento coacto, neutiquam præstamus. Reatum autem perjurii quod attinet, ille est maximus: Perjurium enim est peccatum gravissimum, quia Deus invocatur testis in testimonium falsi, & qui fit perjurus, videtur abnegare & omniscientiam & omnipotentiam Dei, manumque Dei vindicem parùm extimescere. Quemadmodum enim juramentum est invocatio nominis divini; ita perjurium profanatio ejusdem, Deus verò impunitos non dimittet, qui nomen ejus sumunt in vanum. Quâ occasione quæsitum est ab aliis, an perjurium gravius peccatum sit cæteris peccatis, quæ in proximum committuntur. In hac re certum est, inquit *Sayrus l. 5. Cas. Conf. c. 6.* perjurium gravius esse peccatum, quàm sit adulterium. Rationem dat, quia tantò gravius est peccatum, quantò corrumpit ordinem digniorem: Dignior autem est ordo ille, qui debet esse hominis ad Deum immediatè & directè, quàm ille, qui debet esse ad proximum immediatè, & mediante proximò ad Deum. Perjurium autem ordinem priorem corrumpit, adulterium secundum. *Guil. Paraldus in Summa de Vitiis & Virtutibus Tract. 9. part. 2. c. 4.* duodecim rationes adducit, quæ criminis hujus gravitatem ostendunt.

CAP. II.

De

MORALITATE JURAMENTI COACTI

EGimus hucusque de natura juramenti coacti, pergendum nobis jam est ad moralitatem. Ubi suscipimus determinandum, an juramen-

men-

mentum coactum sit honestum, adeoque licitum, & moraliter bonum; an verò sit inhonestum, illicitum, & moraliter malum. Ex his autem fluet deinde responsio ad quæstionem, An juramentum coactum præstandum sit, nec ne? Quando enim est licitum & honestum, quidni posset etiam præstari? quando verò est illicitum & inhonestum, non potest non prohiberi; cum autem alii prius, alii posterius arripiant, hinc & hoc caput commodè in duo membra dispescendum putamus, prius de thesi nostra, posterius de antithesi aliorum.

MEMBR. I.

De

Thesi nostra circa moralitatem Juramenti
Coacti.

§. I. Statuimus autem: Juramentum coactum esse honestum, adeoque moraliter bonum, & salvâ conscientia ab eo, à quo exigitur, posse præstari. De quò tamen, ut eò plenius planiusq; constet, monemus (1.) nos non loqui de tali moralitate, quæ sit *absolutè talis & catholica*, quemadmodum ita virtus est moraliter bona, & semper sequenda, semper exercenda; ita enim nullum juramentum foret moraliter bonum, nam quòd ea, quæ aliter aut probari aut persvaderi possunt, non sint juramento confirmanda, admittunt omnes sani. Unde *August. de Serm. Dei in monte l. 1. c. 30.* Jusjurandum, inquit, non est sicut bonum quoddam appetendum, sed eò in sola necessitate uti licet. Nam jusjurandum est tanquam imbecillitatis humanæ remedium, & ad fidem rei faciendam necessarium instrumentum, quare se habet instar medicinæ corporeis morbis subvenientis, sicut ergò frequens medicamentorum usus noxius esse solet, ac tantum est proficiuus necessitate exigente, ita frequens juramenti usus perniciosus est, & tantum est salutaris appetendusq;ve, quando gravis causa subest. Sed quæstio nobis est, an sit *opus moraliter bonum, ut ille non peccet in conscientia*, qui ad tale juramentum vi adactus, illud præstat. Notanter dicimus, qui tale juramentum præstat, ut innuamus h. l. sermonem esse (2) de Moralitate juramenti coacti *respectu patientis*, seu illius, qui id præstare debet. De eo enim, qui illud alteri imponit, in confesso est, quòd juramentum tale sit illicitum & moraliter malum. Quis enim nesciret,

omnia

omnia latrocinia, omnesq; rapinas improbari, & consequenter multò magis ea juramentà, quæ pro ampliandis illis extorquentur? Et quis quæso nesciret, non promiscuè cuilibet jus in meam voluntatem esse concessum, ut eam velit invitam ad aliquid rapere, trahere? Deniq; quis nesciret, latroni nullum planè jus competere in vitam meam aut opes, unde non posse eum talia juramenta, nisi cum summâ injuriâ extorquere, siquidem latro, aut alius, qui coactum juramentum exigit, rem in se transfert, quæ planè in ejus potestate morali non erat? ut supra diximus. (3) Præsupponimus, adesse *indeclinabile & presentissimum vitæ periculum*, ita ut juramentum præstandum sit, aut mors necessariò subeunda, quando enim quis tale juramentum declinare potest, omnibus modis eo nitatur. (4) Palmarium tamen in hâc controversiâ est, quòd probè respiciendum sit ad qualitatem objecti, super quo tale juramentum præstandum venit, quod supra diximus esse vel possibile, vel impossibile, utrumque verò vel naturale, vel viribus, vel morale; & eò probè intellectò jam inferimus ita generaliter.

§. II. *Si juramentum coactum exigitur super re impossibili naturaliter viribus & moraliter, ne præstandum quidem est; sin autem exigatur super re possibili, & naturaliter, & viribus, & moraliter, tunc tutò præstari potest.* Ubi obiter observamus; ad posterius requiri, ut omnia illa tria requisita de qualitate objecti conjunctim adsint, si juramentum debet evadere licitum, interim ad prius unius defectum sufficere. Sic juramento coacto promittere, te velle occidere infantem, est possibile & naturaliter & viribus, interim quia est impossibile moraliter, vitiatur totum juramentum: De more scilicet formositatis & deformitatis ethicæ; quemadmodum enim ad formositatem requiritur, ut omnia requisita exactissimè sese habeant, ita ad deformitatem unius saltem circumstantiæ aberratio sufficit: Ita & hòc locò ad juramentum coactum licitum requiritur triplex illa rei possibili species conjunctim adsit, illicitum verò constituit etiam unius saltem speciei defectus.

§. III. Itaque thesios nostræ generalis, superiùs positæ, sensus plenior ex hæcenus dictis emergit iste: *Juramentum coactum quod exigitur super re impossibili aut moraliter aut viribus aut naturaliter, ex parte quoque jurantis est illicitum, inhonestum, ut peccet is in conscientia, qui præstat illud, etiamsi in presentissimum vitæ periculum sit dejectus.* Con-
trà

trà verò : *Juramentum coactum super re possibili naturaliter, viribus & moraliter præstandum, ex parte jurantis est actio moraliter bona, ita ut salvâ conscientiâ præstari queat ab eo, qui in presentissimum & indeclinabile vitæ periculum fuerit dejectus.* Probationem singulorum membrorum specialem reservabimus nobis ad specialiore[m] istorum deductionem paulò post insecuturam; jam generaliore[m] præmittimus. Nimirum, communis sententia est, tres circumstantias seu *comites* requiri, ut juramentum bonum sit ac licitum, *α) Ex parte rei Veritatem. β) Ex parte jurantis judicium. γ) Ex parte causæ justitiam.* Ratio, quia per juramentum Deus, qui summa est veritas & justitia, adducitur in testem, necessarium ergò est ad ejus reverentiam, ut id, quod juratur, primò sit verum, deinde justum, tertio æquum. Deducere verò illa tria solent ex *Jer. 4. v. 2. Jurabis vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Hæc igitur veritas, judicium & justitia adeò ad juramentum sunt necessaria, ut quocunq[ue] ex his comitibus deficiente juramentum illicitum & peccatum sit. Si enim deest veritas, juramentum suâ substantiâ & medullâ privatur, & Deus testis mendacii adducitur: si deest judicium, afficitur Deus quâdam irreverentiâ, siquidem sine causa inducitur tanquam testis: Si deest justitia, adducitur quantum ex parte jurantis ut cooperator & approbator iniquitatis, quæ sine manifestâ injuriâ & irreverentiâ divini nominis esse non possunt. Atqui verò nullum ex istiusmodi requisitis in juramento coacto, prout à nobis explicatum fuit, deest, adest veritas, adest judicium, nec deest justitia. Ergò etiam nihil obstat, quo minus habeatur pro licito juramento, ut jurans vitæ suæ ita consulere queat: *Quod si enim aliquis, ut vitam servet, aggressori ad internecionem usque resistere summo jure potest, qui modus admodum est violentus, quidni posset, mediis defendendi sublatis, vitam tali juramento conservare?*

§. IV. Hæc de generalibus: Pergimus ad specialia membra, in thesi generaliter expressa, eorumq[ue] probationem. Primum eorum sit: *quando queritur de juramento coacto super re possibili & impossibili naturaliter.* Notamus verò hîc statim rarò, imò rarissimè adesse defectum in juramento coacto quoad possibilitatem naturalem, ita ut tendat ad impossibile naturale. Nemo enim, nisi sit stultus, juramento ad id alterum obligare conabitur, ut promittat se volaturum per ætherem; cum ex eo sibi parum accrescat utilitatis, potius intendit lucrum,

C quod

quod ex re alteri naturaliter impossibili sperare se non posse novit.
Quod si tamen ponatur casus, eò dementiæ eum, qui juramentum coactum imponit, deferri, potius tunc illud planè non præstandū esse censemus, quia ita nomen DEI assumitur in vanum, mors enim prius subeunda, quam honestas violanda. Nam esto pereat ita, perdat vitam, quam servasset, si ita jurasset, non tamen sunt facienda mala, ut eveniant bona: stylo Spiritus Sancti, h. e. non profanandum nomen DEI, ut conservetur vita.

§. V. De altero, ubi Quæstio est de juramento *super re possibili & impossibili viribus*, poterat omninò scrupulus subnasci; quid faciendum sit, si latro pro redimenda vita exiget mille taleros, aut tantam pecuniæ summam, quæ in potestate tua non est. Non diffitemur, nodum esse difficiliorem paulò solutu, cum videatur premi multis difficultatibus. Quicquid verò earum sit, putamus tamen melius sibi consulere illum, qui fateretur latroni tantum se in ære non habere, quam qui temerè tale juramentum præstat, in quo certè novit, se pejeraturum esse: Exinde enimprehenditur levis animi sui index, cum velit DEI nomen invocare in testem rei sibi impossibilis. Levitatis est jurare quæ præstare non possis, inquit *Bald. Cas. Consc. de Juram. c. 8.* Potius itaque expectet arbitrium latronis, hoc est, quia Deus terminum ponit malis quoque actionibus, quousque patiaturorem hostis in ipsum grassari, sic tutius poterit procedere; cum ita Dei gloriam & nominis ejus honorem plus amarit, perinde ac debet, quam vitam temporalem, quia tale juramentum conjunctum foret cum profanatione nominis divini. Ex eo verò insimul patet, quid sentiendum sit de juramento castitatis, ad quod coguntur interdum monachi & moniales inter Pontificios: Sanè illud non potest non improbari, cum peccet ex eò, quod h. l. ventilavimus, requisitò. Promittere enim debent rem impossibilem viribus. Non omnes capiunt verbum hoc, inquit Salvator, nec sufficit corpus servare castum, nisi animus quoque castus sit. Quod excipiant, posse tamen eos, qui donum continentia non habent, precari Deum, ut sibi illud conferat; id est de nihilo, nam istius nulla nobis data à Deo promissio: Et tale juramentum idem foret, cum eo, quando aliquis latroni vellet promittere tonnam auri, quam non habet, & deinde Deum precari, ut sibi tantum æris conferat.

§. VI. Tertium denique est, quò quæritur, quid sentiendum sit de jura-

juramento, quod exigitur *super re possibili & impossibili moraliter*. Paucis: Illud est licitum, & præstari potest; hoc est illicitum, & præstari nequit. Involvitur verò tacitè illa quæstio, quodnam ad moraliter possibile & impossibile, uti superiùs à nobis explicatum fuit, h. l. pertineat. Clariùs, *an possim latroni promittere pecuniæ summam pro redimenda vita?* Resp. omninò, pertinet enim ad possibile moraliter. Magnum quippe discrimen est inter malum triste, & malum turpe: qui distingvit inter malum morale & inutile, ex *B. Kromeyeri Theol. Pos. Polem. art. XIII. Th. VII. p. m. 745.* idem nobiscum sentit. Istiusmodi insuper juramenti præstatione bonum aliquod reipublicæ promovetur, quatenus videlicet membrum aliquod reipublicæ conservatur; etsi verò hoc cum aliquo hominis detrimento fit, illud tamen externi boni est, cui vita, tanquam internum, semper præferenda. Contrà verò, quando juramentum coactum respicit mala moralia, v. g. si quis homicidium, perpetrandum, aut urbis incendium promittere adigeretur, aut aliud quid contra conscientiam; tunc tale juramentum planè non foret præstandum. Involveret enim contradictionem in ipsis verbis, adeò ut non possit non esse blasphemum. Nam promittere juramento etiamsi coacto te alterum velle occidere, cum alterius conjuge mœchari, idem foret, ac Deum invocare testem propositi tui, quod certò contra quintum aut sextum ejus præceptum peccare velis, & invocare vindicem, nisi ipsum peccatis ad iram commoveas, quod sanè impium, quod blasphemum.

§. VII. Sed quid sentiendum *de silentio?* de eo enim altior poterat esse quæstio, an ad impossibile moraliter seu malum turpe, an verò ad possibile moraliter, quamvis insimul ad malum triste pertineat. Unde in peculiari paragrapho rem examinandam putavimus. Judicamus tamen, promissionem silentii pertinere ad possibile moraliter, & hinc *silentium quoque latroni juramento coacto posse promitti*. Hæc tamen insimul distinctione subauditâ, sermonem nobis non esse *de persona publica, sed de privata*. Quæstio ergò foret; *si à persona privata* juramento coacto exigeretur pecuniæ summa, simul sub sigillo silentii, te nolle latronem prodere, an tale juramentum præstari queat? Resp. omninò, quia etiam salvâ conscientia servari potest, quod infra docebimus, quidni ergò etiam præstari? Aut enim tale juramentum præstabo, aut non præstabo. Si præstitero, ego conservo vitam,

alteri verò non noceo: quod ita ostendo, quatenus, si non præstitero, illa difficultas, alterum posse tunc in latrones incidere & perire, qui à me aliàs posset moneri, non tollitur. Si enim non præstitero, vitam amitto, ponimus enim præsentissimum & indeclinabile vitæ periculum, alter verò à me mortuo neutiq̃am moneri potest.

§. VIII. Quando verò quæstionem informamus *de persona publica aut principis*, paulò aliter procedendum. Solliciti autem sumus de tali juramento, quod exigitur à principe de non vindicando scelere latronis. Nam quòd præstare queat juramentum promittendo certæ pecuniæ summam pro redimenda vita, de eo nec volumus, nec possumus dubitare. Ita enim nec officio magistratus deest, nec reipublicæ obest, sed se in incrementum ejus, vitamq̃ve suam servat. Quòd si tamen latro exigeret à principe non tantum pecuniæ summam, sed etiam sceleris impunitatem, hîc res intricatior: Distingvendum tamen putamus *inter impunitatem delicti perpetrati, & perpetrandi*. Potest quidem promittere *impunitatem de eo delicto, quò suam personam affixit*: Ita enim induit personam privati, & cum eo pari passu ambulat; quando verò exigit *immunitatem delictorum perpetratorum*, tantum abest, ut eam promittere possit princeps, ut potius mortem ipsam prius subire debeat, anteq̃am in tale juramentum consentiat. Illud enim non potest non incurrere moraliter impossibile, & rem inhonestam, cum promittere juramento latroni impunitatem delictorum imposterum perpetratorum, si promissio fieret à magistratu, idem foret, ac Deum invocare testem, te, qui officium magistratus sustines, velle officium tuum violare, ipsi non satisfacere; & invocare atrocissimum vindicem, nisi fidem officii reipublicæ datam freris.

§. IX. Quia verò multa huic sententiæ obstare videntur, paucissimis ea percurramus, & quid de quolibet monendum sit, superaddemus. Dicat enim aliquis: Ita perire principem, nisi tale quid promiserit. Resp. (1.) contingere posset, nisi latro intenderet pecuniam potius, & nisi majus lucrum speraret, quando à principe magnam pecuniæ summam solvendam extorq̃vet, quàm si sanguinem ejus profundat, acceptâ enim pecuniâ, fugâ sibi consulere posse novit. Imò verò poterat vitam scelestissimam mutare, ad quam desperabundus animi furor & paupertas eum incitabat, neq̃ve de latrociniis & rapinis imposter-

imposterum patrandis cogitare, cum ita pecuniæ cupiditatem sic satis expleverit. (2.) Esto, tenacem esse latronem, ut propositum mutare nolit, sed impunitatem latrociniorum imposterum perpetratorum exigat, tunc conscientia melius sanè consulat princeps, si patiatur se occidi, quàm si tale impium, cujus rationem paulò ante exposuimus, juramentum præstiterit. Excipis: Atqui verò interdum ex salute principis dependet salus totius reipublicæ; Resp. Non deficit alter, perierit hic, aderit alius. Ponamus tamen insuper etiam casum, maximum periculum ex morte principis imminere reipublicæ. Dominus tamen providebit, neque enim Deus directoriò suò hîc deerit; & occulta Dei sunt judicia, cur in tam tristi rerum statu principem reipublicæ eripi patitur. Dicis denique, non esse probabile, Deum per immensam suam misericordiam principi, si in tali juramento præstando peccaret, illud non condonaturum: præsertim cum præstiterit illud, ut conservaret vitam suam, & aliorum, omnium bonorum internorum longè maximum; quia insuper malitiâ latronis coactus fuit. Resp. Notum est, quòd prima tabula deroget secundæ, adeoque ante omnia quærenda gloria nominis divini, post salutem nostram, præsertim cum nati simus non ad hanc, sed ad futuram vitam: Deinde verò de facili largimur, dari gradus inter peccata, & unum altero esse minus; sanè gravius peccabit ille, qui spontè & temerariò impetu jurat de re illicita, quàm qui tale juramentum de impunitate delictorum perpetratorum amore vitæ ductus & seductus latroni præstitit. Exinde tamen nondum sequitur, quòd planè non peccet. Omne enim peccatum per immensam gratiam divinam est remissibile, interim tamen nemo concludit, quòd, quia est remissibile, propterea etiam tutò admitti queat. Denique sicut Deus infinitè misericors; ita etiam infinitè justus est.

MEMB. II.

De

Antithesi circa moralitatem Juramenti

Coacti.

§. I. Vidimus hucusque thesin circa moralitatem juramenti coacti, ejusque probationem, jam sequitur *antithesis, ejusque refutatio.*

C 3

Offen-

Offendimus verò in ea tum *deficientes*, tum *excedentes*. Deficiunt, qui nullum plane juramentum, adeoque multo minus coactum Christianis licitum esse putant; Excedunt, qui promiscuè tale juramentum præstari posse censent. Nostrum est, ut inter Scyllam & Charybdim harum duarum sibi adversarum sententiarum mediâ incedamus viâ, evitantes tum excessum, tum defectum circa hanc materiam.

§. II. *Deficientes* diximus eos esse, qui nullum plane juramentum christianis licitum esse somniarunt, decepti procul dubio ipsò nomine juramenti, quod malignitatem quandam contraxisse videtur; nomen siquidem infame æstimari poterat, & honestas lædere aures. Sed ex nomine non statim judicandum de re. Sic enim datur vox belli, vox mendacii, vox homicidii nimis infamis, quis verò dubitet, dari bellum justum, mendacium licitum, homicidium honestum? Esto itaque malignitatem irrepsisse in vocabulum juramenti, ab abusu quando ex levitate animi fiunt multoties juramenta, propterea tamen non statim concludendum omne juramentum esse illicitum. Maneat usus, tollatur abusus. Cum enim forma juramenti generica non sit vitiosa, quis concludere vellet, ejus omnes species esse vitiosas? jam verò notum est, quod forma juramenti consistat in eo, ut sit nihil aliud quàm invocatio nominis divini, unde etiam splendidò titulò à quamplurimis vocatur pars cultus divini.

§. III. Sunt verò illi ex Veteribus Essæi, Manichæi, Basilidiani. Vid. Euseb. hist. eccles. l. 6. c. 4. præpar. Evang. l. 9. c. 11. Joseph. l. 2. de Bello jud. c. 7. Hodierni hæretici Sociniani, Anabaptistæ, Weigeliani. Et ne videantur absque ratione prægravi dixisse, provocant ad loca quædam Sc. S. maximè verò ad locum Matth. 5. v. 37. quando Christus dicit, omnino non jurabitis, neque per cælum neque per terram &c. Hic, hic itaque videtis quod simpliciter omnia juramenta prohibeantur! Sed responsum ipsis dudum accuratissimè fuit à Theologis nostris. jam adducam tantum responsum B. Dn. D. Kromeyeri Theol. pos. polem. Art. XIII. th. 7. qui duplicem ad hunc locum suppeditat; unam philosophicam, & quidem logicam, ex terminis, alteram Theologicam, ex rebus ipsis. Logicam responsum quod attinet, distingvit inter phrasas omninò non jurabitis, & non omninò jurabitis, monet, quod prior phrasis omnia in universum juramenta excludat, posterior aliqua
dun-

duntaxat: Secundum verbum, de propositionum æquipollentia in logicis trad. consuetum.

Præ contradic. post contrar. præ postque subaltern:

Applicat in loco citato non priorem sed posteriorem occurrere phrasim. Responsio theologica est, Christum citatò loco non improbare, quemcunque juramenti usum; sed tantum temerarii, quali juramentò temerariò omninò non erat jurandum. Scopus enim Christi inibi est, reprehendere pravam consuetudinem post Esram inolitam, quando putabant in rebus gravioribus licitum jurare per Deum, in levioribus per creaturas, per cœlum, per Hierosolymam &c. *vid. Buxdorf. Lexic. Thalmud:* Urgent præterea locum ex Epist. Jacob. c. 5. v. 13. Sed cum responsio ex jamjam dictis de facili possit depromi, & hæc uberioribus verbis melius in cathedra Theologica quàm philosophica disputentur, hîc filum nos abrumpimus.

§. IV. Potius audiamus adhuc illas eorum rationes, quas desumunt ex ratione. Dicunt enim perjuriam melius hæc ratione præcaveri posse, si juramenta simpliciter prohibeantur. Resp. Dist. inter id, quod fit per se, & quod fit per accidens. Male colligitur ab eo quod fit per accidens, ad id quod accidit per se. Non enim vites excindendæ, quod vinum inebriet; non mares omnes castrandi, quod quidam fornicentur; non juramenti usus tollendus quod quidam perjurium committant: Tollatur abusus, maneat usus. Usus habet laudem, crimen abusus habet. Porro excipiunt, quòd abusus divini nominis, qui locum habet in juramentis, sit prohibitus. Formabimus argumentum, sic enim infirmitas colligendi sponte patefcet.

O. Abusus nominis divini est prohibitus.

O. Juramentum est abusus nominis divini. E.

O. Juramentum est prohibitum.

Transeat major, negamus & pernegamus minorem. Dist. inter juramentum legitimum & temerarium. Utrâque largimur, abusum divini nominis esse in illegitimo & temerario; sed propterea non statim in legitimo juramento.

Potius ita contra eos inferimus.

Sine quocunque dissidia tolli nequeunt in statu corrupto, & veritas in lucem protrahi, illud omninò est medium statui corrupto licitum.

Atqui sine juramentis dissidia &c. E.

Lar-

Largimur tamen, quod sit medium statui corrupto proprium. Non enim cecidisset in statum integritatis, uti supra docuimus.

§. V. Hæc paucis de deficientibus. Succedunt *excedentes* quales diximus, qui promiscuè juramentum coactum præstari posse censent, & tales sunt Casistæ Pontificii, maximè verò Jesuitæ, qui amphibologiis rem totam conficere, & omnes difficultates, circa talia juramenta præstanda subnatas, eximere se posse putant. Cum verò duplici modo exerceatur *amphibologia*. 1.) *quando verba sunt ambigui sensus*. 2.) *quando verba quæ simplicem sensum habent per mentalem reservationem in alium commutantur*. v.g. cum quis interrogatus, an fecerit hoc aut illud, audacter & tenaciter asserat, se non fecisse, subintelligendo scilicet in carcere, vel alio loco, ubi factum patratum non est. Aut non feci, subintelligendo, ut tibi dicam. Unde non eadem omnibus circa amphibologiam est sententia: De verbis ambiguis communis quidem sententia ferè est, Soti, Cajetani, aliorumque, eum, qui injustè cogitur ad juramentum, vel aliàs habet justam causam celandi mentem suam, non peccare, si utatur oratione ambiguâ, & ita alio sensu juret, modo necessitas vel utilitas juramentum exigat. Rationem superaddunt, quia, cum non teneatur loqui ad mentem alterius, potest orationem in aliam sententiam flectere, & aliena à proposito alterius respondere, & consequenter, si ratio postulet, potest illi in eo sensu adjungere juramentum: sed de restrictione occultâ seu reservatione mentali iidem negant, & cum illis quidam alii, quia oratio illa, quæ exterius profertur, est falsa. Ut si promittas latroni centum, tacitè addendo, si debeo, si jus habes, exterius mentiris, quia oratio externa id non significat. Interim quamplurimi Moralistarum Pontificiorum putant etiam reservationes mentales tutò adhiberi posse. Inter quos est: *Lessius. De just. & Jur. l. 2. c. 17. dub. 9. Navarrus c. 12. n. 8. 9. & 19. Silvester. Jur. 3. q. 2. Jur. 4. q. 7. Toletus l. 4. c. 21. & l. 5. c. 58. Valentin diss. 5. q. 13. p. 2. & alii.*

§. VI. Audiamus hæc de re differentem *Sayrum. in cas. consc. l. 5. c. 6*. Si juramentum, inquam, irrationabiliter fuerit requisitum, utendo verbis ambiguis, quæ verum sensum generant secundum mentem jurantis, quamvis falsum juxta intelligentiam alterius non peccat: Quia verum juravit, quamvis non illud verum, quod alter volebat, quia sibi imputare debet quod deceptus sit, cum sine causa justâ alte-

alterum ad jurandum adegerit. Ex his verò infert: Quod si quis latroni promittat juramento centum aureos coactus, & metu jurat, se daturum, concipiendo intra se, si tibi illos debeo, aut si mihi placuerit; non peccat. Rationem desumit ex antea dictis, quia sic jurando non mentitur, sed dicit verum juxta mentem propriam, quamvis non juxta mentem latronis, ad cujus mentem non tenetur jurare. Addit insuper & hoc: Quod si latro sub juramento interroget, an utatur amphibolia in pronuntiatione; Licitum etiam tunc eâ uti v. g. jurare, se neque uti, neque usurum amphibologiâ subintelligendo intra se ad dicendum tibi, cum enim hoc totum verum sit, non putat committi mendacium

§. VII. *Zanchez, Op. Moral. l. 3. c. 6. de amphibologiis*, certis regulis hanc rem vult explicare, quarum prima est: Quoties verba sunt significatione ambigua pluresq; sensus admittentia, nullum mendacium est ea proferre in sensu quem proferens ex illis vult & concipit: Etsi audientes, & is, cui juratur, in alio sensu accipiant, etsi nullâ justâ causâ ducatur proferens. Rationem addit, quia, cum verba omnes illos sensus admittant, nil contra mentem itur, aut germanum verborum sensum, illam in quovis illorum usurpando. Secunda regula: possunt quoque absque mendacio ea verba usurpari, etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantiis occurrentibus, sed tantum verum sensum ex aliquo addito, mente proferentis retento, quodcunque illud sit. Ut si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis gratiâ, sive aliò quocunque sine juret, se non fecisse aliquid, quod reverâ fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus; sed tantum non diceret unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant, sed aliam veritatem disparatam. Monet vero ulterius: Quoties adest causa justa his utendi æquivocationibus, animus utentis non debet esse ad fallendum proximum, sed ad occultandam veritatem intentus. Putat verò causam justam utendi his amphibologiis esse, quoties id necessarium est ac utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuenda; Vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, exercendum. Imo justam

D

hujus

hujus causam esse putat quoties quis rogatus ab alio privato jurat; quia respondere alteri non obligatus, nec obligatur respondere ad ipsius mentem. His ita deductis, infert jam de juramento coacto. Si per injuriam extorquetur promissio jurata alicujus pecuniæ dandæ, licitum esse juranti uti hæc æquivocatione, juro tibi me numeraturum pecuniam, ut ille casus, Tibi, rogatur à verbo juro, ita ut sit sensus: Tibi juro, ut numerem pecunias. Item si in ea lingua, in qua juratur, nomen Dei habeat diversas significationes, licitum esse jurare per Deum; usurpando nomen illud in aliâ significatione. Putat insuper non esse plus quam veniale peccatum, dicere; Uro ablatâ I. Imò nullum plane fore mendacium, si illud verbum uro, accipiatur materialiter ut nihil significet. Quærit verò deinde etiam de reservationibus mentalibus; an liceat jurare, retinendo mente hanc conditionem, juro me daturum, si tibi recluso juramento sum debitor: Et respondet affirmando, quia cogit necessitas eâ uti. Et coactam aliquam accipere in sponsam, quam ducere, non tenetur, posse jurare, se accepturum, intelligendo intra se, si teneor, & si postea placuerit mihi.

§. VIII. Sed quis non videt ex pessimo illo de amphibologiis præsupposito, eos posse nescio quæ impia & blasphema juramentò confirmare? Sit enim postulare latronem ab iis juratoriam promissionem, quod velint alterum occidere, urbem incendere &c. facile juramentum præstabunt, cum recurrere queant ad reservationem mentalem, si sine peccato, si bonâ conscientia facere possem. Præsertim cum putet Lessius, toties licitum esse egregiò illò artificiò orationis (*loquar enim ejus verbis*) uti in juramento, quoties necessitas & notabilis casus postulat & quoties justò veritatem occultare possumus: Putat verò tunc nos posse veritatem justò occultare, si aliquod malum vel incommodum aliter non possit averti. Jam verò adest necessitas, adest notabilis casus in dato illo exemplo, malum, nempe jactura vitæ, non poterit aliter evitari: Cum tamen, quicquid sit de mentali reservatione additâ, emergeret iste impurus verborum sensus. Firmum habeo propositum alterum occidendi, h. e. peccandi in Deum, & invoco quoque ipsum in testem hujus mei propositi, & vindicem, nisi homicidium paravero, modo non severè interdixisset. Potius itaque respicimus ad materiam ipsam, super quâ juramentum tale est præstandum, sequestratis omnibus amphiboliis. In eo enim nos non habent adversos, posse

posse nos latroni promittere pecuniam, jurare silentium: Ita enim supra docuimus, Amphibolias saltem impugnamus, quæ in nullo juramento sunt tolerandæ, & quatenus juramentum coactum de quolibet seu possibili seu impossibili sub tali vel tali restrictione mentali præstari posse sequitur.

§. IX. Malignitas verò ipsius rei, quæ est in amphibologiis ad juramentum præstandum applicatis, semetipsam destruit, unde quamplurimi etiam inter Pontificios doctores, uti notat *Sanchez. op. moral. l. 3. c. 6.* sentiunt, non carere mendacio, & consequenter licitum haud esse, si verba, quæ usurpantur, non sunt ex significatione sua, & communi audientium, aut saltem sapientium usu ambigua; sed in sensum verum detorquentur ex solo aliquo addito, mente jurantis concepto. Adeoque ipsi exclusam volunt eam amphibologiam à juramentis, quæ fit per reservationes mentales, dicentes, eam semper esse mendacium, & consequenter perjurium, *stilo ipsorum*, mortale in quovis eventu. Rationes sic satis accuratas dant sequentes 1.) quia ita tolleretur omnium sermonum, qui inter æquales habetur, certitudo, ac subinde commercium, universaque dolis paterent; si, quando quis juridicè non interrogatus, posset absque mendacio uti verbis, omninò verborum significationi contradicentibus, affingendo illis suo arbitrato sensum, à proposito alienum. Nil enim tam falsum esse potest, quod non queat omni mendacio liberari, si aliquid, quò verum reddatur, liceat arbitrato nostro addere. Ut itaque patrocini, quod pro Jesuitis in hac materia suscepit *Becanus in Manual. controv. l. 5. c. 21.* distinguendo, inter judicem, qui servato ordine juris interrogat, ubi nullas admitterent Jesuitæ amphibologias, & qui non servat ordinem juris quando interrogat, ubi admitterent, sit nullum. Cùm ii, qui ex illis sunt cordati, fateantur nullam amphiboliam mentalem esse tolerandam, sive quis versetur intra, sive extra forum; sive rem habeat cum legitimè, sive cum illegitimè quærenti iudice. 2.) quia mentitur, verba aliter accipiens, quam ea significant. 3.) quia non consonat os menti, ac proinde sit mendacium.

§. X. Cùm itaque ipsimet agnoscant malignitatem in amphibologiis mentalibus; nescimus sanè, quo spiritu sint excoecati, quòd eandem in verbalibus videre nequeant: cùm omnis amphibologia, sive sit mentalis, sive sit verbalis, sit peccatum gravissimum. Verbis enim

illis non certi quid testamur, sed potius fictum; ut pateat itaque nos juramentō mendacium ipsum confirmare. Præterea juramentum debet esse finis omnis controversiæ, illa verò per orationem ambiguum non tollitur. Eam enim si adhibemus, juramento ludimus, & nomen Dei in vanum sumimus. Unde rectè *Isidorus*: *Quocunque artificio verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita accipit verba, sicut ille, cui juratur, verba intelligit.* Quare non juvat eos distinctio, inter verum dicere juxta mentem propriam, & mentem alienam. Licet enim ex verbis enunciatis, & reservatione mentali, componatur vera enunciatio; Tenendum tamen, quod coram Deo *καρδιογνώσκω* & mente jurantis integra hæc quidem enunciatio formetur; interim tamen juramentum non adhibetur in Dei & hominis jurantis gratiam, sed in gratiam istius, cui juramentum præstat. Cum itaque sola pars enunciata ex mente imponentis contrarium significat illius, quod mentalis reservatio, parti enunciatae addita, continet; clarum est, quod enunciatio falsa juramento confirmetur. Unde audiendus est canon ille de juramentis notissimus: *Juramenta sunt intelligenda non prout interpretantur ex mente jurantis, sed imponentis.* Nec est, quod excipiant in specie quoad juramentum coactum, me omnem mentem latroni, vel ei, qui tale juramentum extorquet, ut aperiā, non teneri, quia nullum jus de veritate interrogandi habeat: Largimur enim ipsis de facili, posse dari hujusmodi casus, ubi reticere veritatem possumus, neque cuilibet eam revelare tenemur; imò licet quandoque verum pro falso substituere, e. g. si innocens affligatur ab insano, & ille confugiat ad meam domum, insectetur verò ab altero, quæratque insectator ex me, an se receperit in domum meam, tunc rectè quidem dicere possum, non recepi. Interim tamen mihi non licet, ut hoc falsum assertum juramentō confirmem, & ita nomen Dei invanum sumam.

CAP. III.

De OBLIGATIONE JURAMENTI COACTI.

Postquam hucusque ventilavimus moralitatem juramenti coacti, & non tantum in genere ostendimus, quodnam sit præstandum, quodnam

nam non, sed etiam in specie ivimus per singulas ejus classes, & consideravimus moralitatem in iis omnibus; Sponte ex illis superiùs adductis jam dispalescit, quid sentiendum sit de obligatione juramenti coacti, cum jamdum præstitum fuerit. An promissa servanda sint, an non? Si quidem non parum ex expositione moralitatis in materia de obligatione juramenti coacti lucrabimur. Cum verò aliqui Juramentum coactum obligare asserant, quidam negent, hinc commodè & hujus capitis constituimus duo membra, prius de thesi nostra ejusq; probatione, posterius de antithesi ejusq; refutatione.

MEMBR. I.

De

Thesi nostra ejusq; probatione.

§. I. Ut de thesi nostra ejusq; probatione circa obligationem juramenti coacti eò melius constet, præmittendum putamus aliquid in genere de Obligatione. Nimirum dicitur illa *effectus promissionis, & est nihil aliud, quàm vinculum juris, quò velut necessitate quòdam alteri adstringimur rei cujusdam præstandæ.* Dividi solet in *moralement & civilem.* *Moralis* forum internum conscientia respicit, quippe sine cujus vulneratione seu læsione illud omittere vel committere non possumus, ad quod moraliter obligamur. Juxta canonem: *Quicquid non possum omittere aut committere absq; læsione conscientia, ad illud teneor obligatione morali.* *Civilis* respicit forum externum humanum, ad illud enim dicimur obligari civiliter, quod sine læsione juris in alterum vel omittere, vel committere non possumus. Inde fluxit iste canon: *Quicquid absq; læsione juris in alterum non possum omittere aut committere, ad illud teneor obligatione civili;* ita ut possim accusari de illa omissione, aut commissione in foro, imò etiam pœnam incurrere. v. gr. ut egeodem elemosynam, ad illud teneor obligatione morali: ut Bibliopola pro emto libro persolvam pretium, ad illud teneor obligatione civili.

§. II. His ita præmissis, jam facilè quis intelliget, nobis h. l. *non esse questionem de obligatione civili,* adeoque non de foro externo reipublicæ; *sed potiùs de obligatione morali,* & foro interno conscientia. Cum enim non ex quolibet pacto vel promisso, sed justo, & ad quod contractantes licitis modis, consensu scilicet verò & spontaneâ animi deliberatione interveniente descenderunt, jus alteri, ab invito etiam extor-

qvendi, competere æquum sit; adeoque leges injuriam alicui patrociniari nolint; Magistratus politicus sicut ipsam promissionem infirmare, ita & juramentum appositum, quoad exigentem, ut is scilicet ex eo facultatem agendi ullam habeat, irritum declarare, imò sine omni absurditate, si vel jam solutio facta sit, restitutionem, vel si adhuc integra sit promissio, remissionem injungere potest. *Vid. Gregor. de Valent. Tom. 3. disp. 6. q. 7. punct. 4. Georg. Franzkium in var. resol. l. 2. resol. 3. Carpzov. in Consistorial.*

fluxerunt exinde, quæ communiter è jure civili in hac materia allegantur regulæ. *Quod vi metuq; factum, ratum non habeto. Item Juramenta, per dolum aut vim extorta, non sunt obligatoria.* Quæ omnia *Benstius de juram.* prolixè deducit.

§. III. Cùm verò nostri instituti non sit, ea ulterius persequi, potius ea linquimus scrutanda Dnn. Jctis, ne videamur falcem mittere in alienam messem, quanquam observatio *B. Selnecceri* ad regulas istas *Exam. part. 3. p. 159.* non poterit non placere, quando monet: ita explicandas eas esse, ut iis non absolvatur privatus, sed quòd tantùm per istas informetur iudex, quòd non concedere debeat, ob ejusmodi juramentum jure agi.

§. IV. Potius itaque nos convertimus ad obligationem moralem. In foro enim conscientie aliter judicandum de obligatione juramenti coacti. Quæstio proinde jam foret: *An juramentum coactum obliget in conscientia, nec ne?* Ut quæstionis verò hujus facilius sit deductio, nonnulla præmittenda sunt. I. Distingvendum inter promissionem simplicem seu nudam, & inter promissionem juramento confirmatam. De illa non est quæstio. Talis enim irrita fieri potest, si vis, si metus intervenerit. Quod attinet autem promissiones juramento confirmatas, cum illis aliter se res habet. Et quidem, ut clariùs differentia innotescat, observandum II. ex juramento promissorio ex parte jurantis duplicem oriri obligationem; unam primariam & juramento maximè propriam, quâ jurans tenetur Deo efficere, ut ab ipso non adducatur in testem falsæ infidelisq; promissionis, & ita promissionem adimplere. Alteram secundariam, & quasi ex priori in actum promissionis dimanantem, ut longè arctiori modo & ratione rem exsolvat, quàm si nudè saltem, & simplici promissione interveniente solvendam recepisset. Prior obligatio semper præsto est, quoties juramentum ex parte saltem jurantis est de re licita, & sine dispendio æternæ salu-

salutis præstabili. Posterior tùm demum, ubi ex parte alterius, cui præstitum est, justitia subest, & simplicem promissionem, cui juramentum adjungitur, sustentat: ex qua, si remotò juramentò jus nullum ipsi confurgeret, nec quicquam quoque firmitatis medio deficiente ex virtute religionis, sub qua propriè juramentum obligat, in illum redundare potest. III. Notandum, quòd juramentum promissorium præstetur *vel circa rem in se licitam, vel circa rem illicitam*. Si posteriori modo præstitum sit, notum est, quòd valeat illud Isidori: *In malè promissis rescinde fidem*. Aliter se res habet, si sit præstitum circa rem in se licitam. De tali casu in præsentì quæritur. Solent eqvidem communiter distinctionem illam aliis tantummodò verbis proponere, ita tamen, ut *à ne p̄sca* in illa desideretur. Distingvunt *inter juramentum licitum & illicitum*. Hoc rescindendum, illud servandum esse volunt. Potest enim juramentum esse illicitum; & jurans tamen obligatur, ut illud servet. Clara res est: sic illicitum fit juramentum, quandoque ob circumstantias exactoris, item ratione jurantis, item ratione modi: res illicita verò appellatur à Moralistis, malum turpe. De quo supra.

§. V. Quibus ita præmissis formamus jam thesin nostram: *Juramentum per injustam vim vel metum extortum in foro conscientie omninò est obligatorium*. Si NB. præstitum fuerit de re in se licita. Probatam eam 1.) à definitione juramenti. Petimus enim in juramentis, ut Deus sit testis animi nostri, quòd non velimus fallere homines, hæc in re, de qua certum quid asseveramus, simulque petimus, ut Deus sit vindex, si aliter sentiamus & homines fallere cupiamus. 2.) quia, uti præmonuimus, *duplex in tali juramento occurrit obligatio*, unâ, quâ obligatur jurans homini, qui vi metuque juramentum illud extorsit; altera, quâ obligatur Deo, quatenus nomen divinum invocatum. Prior obligatio omninò irrita est, & fit propter injuriam exactoris: Persona enim illa, cui juratur, nullum habet jus in personam, quæ jurat, quia in injuria nullum jus fundatur, quod possit prosequi. Ergo qui vi injustâ aut metu extorquet juramentum, non potest exigere, ut alter promissa expleat. Verùm quod attinet Deum, manet tamen obligatio Deo facta: Ipsi enim terminativè juratur, qui suum jus meritò exigit, ut enunciatio illa, in cujus confirmationem inductum fuit juramentum, & nomen ejus in testimonium invocatum, efficiatur vera. 3.) Urgeo naturam obligationis, quæ à juramento vero est inseparabilis; quia

quia non nititur voluntate jurantis, sed jure naturali per se annexa est juramento, unde non est in potestate jurantis separare eam à juramento. Implicat enim aliquid verum esse juramentum, & non inducere obligationem verum vel dicendi, vel faciendi. Obligat itaq; juramentum in conscientia ad adimplendum promissum, sive coactè juraverit quis, sive non. 4.) Provoco ad *indolem perjurii*, quemadmodum enim juramenti forma consistit in invocatione nominis divini, ut proinde sit pars cultûs divini, ita perjurium, istiusmodi juramento oppositum, consistit in profanatione nominis divini: Sed quis nescit, gravius peccatum esse profanationem nominis divini, quàm ullum aliud damnum in bonis fortunæ. 5.) quia denique hoc juramentum *præstitum est non à simpliciter invito*. Etsi enim promissio hujusmodi jurata ratione principii extranei urgentis, & objecti in se considerati, quod voluntas aliàs extra illas circumstantias non appeteret, involuntaria dici possit; voluntaria tamen est ac dicitur ratione tum finis, qui est majoris mali evitatio, ob quam homo liberè minus malum eligit, tum principii interni, voluntatis videlicet, quæ & liberè eligit unum oppositorum, & imperat aliis potentiis suos actus. Ubi verò est electio, ibi non potest esse actio simpliciter invita: velle enim & eligere sunt actus voluntatis elicit, quibus inest sua libertas. Imò dum, ut *Aristot. l. 6. Ethic. c. 1.* inquit, actio expetitur, tunc, cum sit, & finis actionis in tempore consistit, promissio hujus magis spontanea esse censetur. Cùm quis enim eò locò sit constitutus, ut effugere imminens malum aliter non possit, omnino vult ita agere vel pati, ut agit vel patitur, imò rebus sic comparatis aliter nunquam faceret, pulchrè *Hornejus lib. 3. Ethic. c. 4.* Unde fluxit notissimus moralistarum canon: *Coacta voluntas etiam est voluntas*; respicientium ad actiones mixtas, ubi ita aliquid & volumus & eligimus, ut id simul adversetur inclinationi nostræ voluntatis. Ut taceam idem nobiscum sentire *Augustinum Epist. 224. & 225.* & gentiles etiam ejusmodi juramenta habuisse pro obligatoriis. *Vid. Cic. l. 3.* Sole enim commendari Pomponius, quòd constanter servaverit ea, quæ territus jurasset. Putamus verò non levem assertioni nostræ lucem, affundere posse exemplum illud biblicum de Gibeonitis; quando Israëlita ipsi juramentum præstiterant fraude & dolo impetratum, *Jos. 9. v. 18. seq.* cum quo confer *2. Sam. 21.* fuisse illud obligatorium, perjurii poena demonstrabat; quòd Saulus postea contra illud foedus eos oppreserat.

serat. Quamquam enim, si simplex fuisset promissio, vitium illud, quod esset dolo & fraude impetrata, potuisset illam promissionem irritam reddere; tamen quia erat juramento obfirmata, quò se Israëlita obligant Deo, non poterant citra perjurium & summum peccatum illud rescindere. Et si jam comparationem instituimus inter juramentum hoc dolo impetratum, & inter juramentum, de quo nobis sermo, vi extortum, summa aderit paritas: Quemadmodum enim illud vitiosum erat respectu personæ impetrantis; quia erat dolo elicited, & vero non poterat proinde obligationem tollere, quoniam erat præstitum super re licita. Quamquam enim è damnatis septem populis fuerint, Gibeonitæ, de quibus *Deut. 7. v. 3.* exclusi tamen illi erant à pacto sociali, non à pacto totali v. g. deditiois. *Deut. 20. v. 10.* Idem similiter de juramento coacto censendum, vitium etiam latet, imo verò satis patet in persona id extorqvente; nemo tamen putare debet solutum se propterea esse ab obligatione: modo præstiterit illud circa rem in se licitam.

§. VI. Nimirum utròque oculò respiciendum ad limitationem illam, *si sit de re licita. Obligat enim juramentum coactum, si præstitum fuerit de re licita; non obligat, sed potius rescindendum est, si præstitum sit de re illicita.* Quà occasione ibimus iterum per species quasdam juramenti coacti, & quemadmodum in antecedenti capite solliciti eramus de moralitate, quoad quæstionem an præstandam sit, nec ne: Ita jam de juramento præstito nobis erit sermo, an obliget, nec ne. Quod itaque juramentum coactum attinet, *quò latroni promissimus magnam pecuniam summam, in eo, an obliget, & an pecunia eidem solvenda sit;* Doctores non adeò habemus dissentientes, rationes manent eadem, quas supra adduximus. Durat enim obligatio altera Deo facta, quatenus Deus in testem est adductus, reddere itaque Deum testem verum debet is, qui promissit, implendo promissionem, testimonio sui nominis confirmatam, quoties promissio potest absque peccato impleri. Jam verò tale juramentum præstitum est de re licita & possibili, tum naturaliter, tum viribus, & de re privata, cui religio & veritas semper præferenda. Nullum verò est dubium, quod actio dandi pecunias, prout respicit dantem coactè pro redimendâ vitâ sit actio honesta, bona, & actus charitatis. Debet enim quis ex charitate erga se ipsum vitam propriam bonis temporalibus præponere. Sic igitur redimendo injustam

E
suam

suam vexationem, dando scilicet quod promisit, etiamsi tunc in loco securo sit, actum virtutis exercet. Præterea promissio illa cum electione est facta, à sciente, & non planè invito, quia ad jurandum nemo ipsum cogere potest, & habuit libertatem vel damnum aliquod patiendo, vel promissione juratâ alicujus rei à damno se liberandi. Jam verò quia inter pecuniæ solutionem & vitæ redemptionem elegit minus malum, cedunt enim bona externa seu divitiæ bonis internis scilicet vitæ. E, ad præstandum id, quod juravit, tenetur, ne per ipsum profanetur nomen Dei. Ulterius tale juramentum fit cum invocatione nominis divini, adeoque est actus religiosus; unde in hoc casu promissio latroni facta ob nominis divini reverentiam est servanda: Quod malum intervenit est malum triste, quod cum turpi malo nempe violatione pacti cum attestatione nominis divini initi, præsertim cum tali juramentò vita fuerit conservata, nunquam commutandum. Accedit denique, quod fides etiam prædonibus & piratis data servanda sit, maximè verò si juramentum accesserit, adversus Deum enim, cujus nominis in juramento facta fuit mentio, nulla unquam valet exceptio; sed quilibet potius per suam pietatem ad exsolutionem fidei datæ obligatur.

§. VII. Aggredimur jam novum aliquod in hac materia, nempe silentium. Quo quaeritur, *quid faciendum sit illi, qui juramento coacto simul promisit silentium*; se factum hoc magistratui politico non revelaturum. Num ille juramentum servare possit & debeat. Facilior equidem quaestionis hujus determinatio est, si quis juramento coacto promiserit se aliquam ducturum, quam aliàs non duxisset in matrimonium, & super tali re auxilium magistratus implorare nolle. In eo poterit de facili silentium servare, cum videat tantum personam suam affligi, neque ita tertium lædi paulò difficilior tamen solutu est illa quaestio: *Quid sentiendum sit, de silentio latroni promisso, te nolle ipsum prodere.* Hic sane in diversa abeunt Doctores & Theologici, & Politici. Imo neque omnes Doctores Theologici hac in parte unanimiter consentiunt. De quorum tamen sententiis & objectionibus paulò prolixius in antithesi. Nostra thesis est: *quod & hoc juramentum statuamus esse obligatorium, cum Avian. prax. Eccles. p. 209. 217. Thumm. in explic. Decal. p. 116. & aliis.* Nam reticentia illa est res licita, possibilis, utilis, facta insuper cum electione à sciente nec invito planè, jam
osten-

ostensum supra nos posse silentium, ut conservetur vita, latroni jurare, quidni verò etiam silentium præstare? cum itaque tali juramento vita sit redempta; procul dubio enim ille internecionem non effugisset nisi silentium præstitisset, satius est in Dei honorem, in cujus nomine silentium juramento promissimus, ferre hanc injuriam. Si enim patriæ salus tanti esse debet, ut vita potius quam illa perdenda sit, quanti nomen Dei æstimabitur. Illud quidem certum, vim & injuriam juranti illatam oblationem tollere, ut ea cesset respectu latronis, interim tamen ne utique tollitur obligatio Deo facta, ut inde nullum metuumdum sit perjurium. Poterit enim Deus illud scelus aliò modo manifestare, & quanquam interea possit imò verò debeat sedulò ac ardentè precari Deum, velit latrociniis & furori prædonis terminum ponere, interim tamen expectet quando & quomodo Deus latronem dignissimæ pœnæ subicere velit. *Vid. Dannhau. colleg. decal. Magnif. Dn. D. Olearium in Discursu ad Theol. moral. tab. de Juram. Dürrii. Theol. moral.* Tamen enim nullum malum proficiscitur à Deo, propterea tamen non desinit providentiæ divinæ esse objectum. Non enim Deus otiosum spectatorem malarum actionum agit in hoc mundo, sed circa earum initium, medium & finem concurrat: Circa initium vel permittendo vel impediendo; circa medium dirigendo, determinando, seu metas præficiendo; circa finem vel puniendo, vel, si pœnitentia sequatur, remittendo. Neque Deus peccatum unquam permetteret, nisi bonum inde elicere sciret. Solet tamen moderamen addi in quaestione illa de silentio latroni promisso, distinguendo *inter manifestationem latronis generalem & specialem*, dicunt quando jusjurandum de silentio fuerit præstitum, cum silere sit res licita in se, tum manifestationem tamen generalem posse fieri. *Man solle sich doch hüten vor dem Orthe* ad manifestationem autem specialem dicunt non esse propter juramentum descendendum. Quod moderamen ideò displicere nequit, ea enim ratione juramentum, is qui juravit, servat; quia manifestationem ipsius personæ concernit, & impedit, quò minus alter in manus latronis incidat.

§. VIII. Hæc autem intelligenda sunt *de persona privata*. Quanquam enim reipublicæ intersit, ne delicta maneant impunita, non tamen putamus ea temerè per privatum, præsertim cum juraverit silentium, esse publicanda. In eo verò nos non opponimus, quando magi-

stratus Dei vicem in his terris gerens, & salutis publicæ rationem habens, aliunde in notitiam aliquam talis patrati facinoris veniens, ejusmodi hominem, iniquo juramento adstrictum, absolvere, & aliò novò, justò ac legitimo ad verum enunciandum ligare velit, quòd tum rescindi inique extorta fides possit. *Personam publicam seu magistratus* quod attinet. Illam si juraverit silentium, clarius impunitatem istius in se patrati delicti, propter juramentum præstitum servare promissa debere censemus. Ita enim non differt à privato, unde quadrant huc eadem rationes, quas supra de hâc materia adduximus. *Sed si futurorum delictorum impunitatem promiserit, tunc nulla plane aderit obligatio*, male enim talis impunitas, quia concernit rem illicitam, ut supra docuimus, est promissa; cum ita liberè in suo territorio latrocinari promiserit latroni, quod contra officium magistratus. Valet ergo illud Augustini: *Juravit David temere, sed non implevit majori pietate*; quia juramentum illud ex præcipitantia factum erat in re minùs honesta. Juraverat enim David, Simei, qui ipsi maledixerat, non moriturum. *2. Sam. 19. v. 23.* contra illud. *Exod. 22. v. 28.* tamen postea revocavit hoc juramentum cum Salomoni præciperet ne fontem absolvat. *1. Reg. 2. v. 9.*

§. IX. Hâc occasione verò in specie *de obligatione juramenti coacti circa rem illicitam seu moraliter impossibilem præstiti agamus*. Et sane verbò hîc respondere possumus, talia juramenta plane non obligare. Ratio est, quia nemo se obligare potest ad peccandum. Id enim contradictionem implicaret. Nam qui ita jurat, in ipso actu jurandi pejerat, non autem postea tum juramentum non servat; quia in ipso actu jurandi Deum quodammodo contemnit, non autem cum oppositum ejus facit; Unde tali juramento justitiam deesse dicitur, quia vitio materiæ laborat, *uti cap. 11. fuit ostensum*. Cum itaque inibi probaverimus malè juramenta talia præstari, spontè sequitur multò turpius ea cum præstita fuerint servari. *Quod enim turpiter promissum, turpius expletur*. Sic si aliquis jurasset, se alterum interfecturum; multò flagitiosius tale iniquissimum juramentum expleret. Peccat enim qui illicita promittit, bis peccat, qui eadem præstat. Quo pertinet illud *Cic. l. 3. offic.* Unusquisque nihil promittat inhonesti & si promiserit, tolerabilius est promissum non servare, quàm facere quod turpe est. *Unde Grotius l. 2. de J. B. & P.* ut valeat juramentum oportet promissio

ho

fit de re licita, quare nullas vires habet jurata promissio de re illicita divina interdictione.

§. X. Ipsa denique res loquitur, quod juramentum coactum præstitum super re *impossibili & naturaliter & viribus* planè non possit obligare, quia illud, quod promissimus, planè non est in potestate nostra; siquidem eam excedit. Unde si quis vi adactus jurare debuit perpetuam castitatem, cum donum continentiae intra se non experiatur, non peccabit iste, si matrimonium contrahit, quia ad impossibile viribus non potuit efficaciter adstringi, melius enim est nubere, quam uri.

MEMB. II.

De

Anthithesi circa obligationem juramenti
coacti.

§. I. Acerrimè semper de obligatione juramenti coacti inter moralistas fuit disputatum. *Casuista Pontificiorum* hujus generis juramenta plane non servanda esse putant, modo aliquis addiderit quandam restrictionem, vel clausulam tacitam, aut si juramentum præstitit absque animo obligandi. His enim sibi apertissimas ab obligatione juramenti coacti quarunt elabendi rimas. Non necesse est, inquit, *Sayrus cas. consc. l. 5. c. 6. num. 13.* ut qui vitae conservandae causâ juramentum homini, inique & per injuriam illud exigenti, præstitit, servet, & pecuniam solvat, si secum cogitaverit, daturum se, si debeat, aut si placuerit. Suppositio verò, quod juramentum coactum præstitum sit de re aliâ licitâ; Suppositio metu cadente in virum constantem; Suppositio, quod jurans habuerit animum jurandi & se obligandi. His omnibus suppositis, putat juramentum vi extortum obligare in foro conscientiae, etiam sub peccato mortali, aliâ non. Et *Lessius de justit. & Jure l. 2. c. 17. dub. 6.* Dicit obligare juramenta coacta, sub hac tamen limitatione, si facta sint animo obligandi. Si enim absque tali animo facta sint docet non obligare, idem simul docet de restrictione & reservatione mentali. Cæterum nimis faciles sunt Pontificii in absolvendis hujusmodi juramentis, & admittunt, si aliquis latroni persolverit promissam pecuniam, posse statim repetere, quia momentanea solutione juramento satisfiat. Cui asserto sese opponit *Hug. Grot. l. 2. de J. B. & P.* Probare, inquit, non possum, quod à quibus-

dam est traditum, eum, qui prædoni quicquam promisit, monumenta-
neâ solutione posse defungi, ita ut liceat ei, quod solvit, recuperare:
Verba enim in juramento quoad Deum simplicissimè, atque adeò cum
effectu sunt intelligenda. Nos, quoniam de restrictionibus & reser-
vationibus mentalibus jam supra egimus, nolumus crambem bis co-
ctam apponere & nauseam, quam supra de ea cepimus, innovare. Ul-
timum tamen eorum, circa animum obligandi, refugium, cur nobis
displiceat, verbò adhuc indicabimus. Siccine enim longè absurdissi-
mus foret, si quis jurare volens, seu intentionem jurandi præ se ferens,
nolit tamen obligari? Si que dixerit, se, dum juramento adigitur, recita-
tione duntaxat verborum conceptorum voluisse defungi, non autem
ex iisdem obligationem conscientie suæ conciliare. Cujus rei ratio
proxima non tantum hæc est, quod obligatio à juramento sit insepara-
bilis, & effectus ejus necessarius; quàm quia aliàs omnis usus juramen-
torum, imò omnis ratio intervenientibus signis sese obligandi ex hu-
mana vita tolleretur, si quis tacitâ suâ intentione posset impedire, ne
effectus ille actum aliquem sequatur, cui producendo idem est institu-
tus. Unde omninò juramento obligaberis, quicquid demum cogita-
ris, quando jurabas. Si quidem & is cui juratur, ita verba tua accipit,
tanquam juramentum exprimentia, & tu, quando eadem proferebas,
seriò rem abs te agi, non autem jocandi institutum ostentabas. Et re-
verà contradictorium est, velle jurare, & tamen juramento obligari
nolle; velle promittere, & promisso nolle teneri: Velle seriò verba
proferre, ut tamen non obtineant illum usum, quem communis con-
ventio illis assignavit. Verba sunt. *Sam. Pufend. l. 4. Jur. Nat. & Gent.*
c. 2. num. 5.

§. II. Obstat quoque nostræ sententiæ *Cicero*, dum negat la-
tronem juramenti capacem esse. Nullum enim perjurium esse, scri-
bit, si prædonibus pactum pro capite pretium non afferatur, ne si jura-
tum quidem sit; quemadmodum etiam fidem latronibus non modo
non esse servandam vult, sed eum quoque, qui eam servat, injustitiam
committere docet. Rationem dicit esse, quia latro est communis ho-
stis, cum quo nec fides esse debeat, nec juramentum commune. Sed
bis errat *Cicero*: 1.) quando perjurium esse negat, si quis juramen-
tum latroni præstitum violaverit, quia in juramento, & si personæ jus
deficit, Deo tamen terminativè juratur. Et quis proinde non videt,
melius

melius esse injusta pati, quàm injusta agere; melius esse, si quis à latrone inique se affligi patiat, quàm si perjurium admittat. 2.) quando negat cum latrone juris esse societatem. Cùm depositum ex ipsorum gentium jure reddendum sit latroni, si Dominus non appareat.

§. III. Denique nostræ Thesi contradicunt Juri, Juramenta vi extorta ipsò jure esse nulla, & absolutione non indigere statuentes. *Canonistæ* quidem communiter asserunt, juramenta coacta valere, adeò ut perjurii notam incurrat, qui peculiariter non absolutus, contra illud facit; maximè eo in casu, quò juramentum præstitum non vergit in dispendium salutis æternæ. Sed *Legistæ* unanimiter statuunt ejusmodi juramenta ipsò jure esse nulla, & nullam parere obligationem. Illud verò si intelligunt de jure externo & obligatione in foro civili, neque nos habent dissentientes: sin autem intelligunt de jure interno & obligatione in foro conscientiæ, quod non obscure eorum rationes innuere videntur, ipsis assentiri non possumus.

§. IV. Percurramus eorum argumenta. *Objiciunt. I.*

Cujuscunq; juramenti materia neque est actus justitiæ, neque liberalitatis, neq; fidelitatis, neq; religionis; illud non est obligatorium.

At qui juramenti coacti materia &c. E.

Major probatur. Quia ut juramentum sit obligatorium, necesse est, ut supponat materiam alicujus virtutis.

Minor constat 1.) quod non sit actus justitiæ, quia non debetur. 2.) non liberalitatis, cùm non donetur, quod est volentis. 3.) Non fidelitatis, cùm promissio ex injuria proveniens, non obliget. 4.) Non religionis quia juramentum per se non propriè constituit actum religionis, sed promissum potius reverentiâ divini nominis confirmat. *vid. Thom. 2. 2. q. 89. art. 5. Soto just. & jur. l. 8. q. 1. f. 260.* Resp. ad Majorem, adesse insufficientem enumerationem causarum. Quia, licet hujusmodi jurata promissio non sit actio justitiæ seu fidelitatis, est tamen actus charitatis, quæ & ipsa virtus est, quatenus vitam sibi, & reipublicæ civem conservat. Imo est quodammodo actus perfectionis, si quis cum præsentis damno verbum & fidem servare velit. Quod si enim illa res hominibus existimationem conciliat, quanto magis obligatus est jurans in reverentiam Dei, quem testem adhibuit, promissum servare & implere.

§. V. II. *Si promissio simplex seu actus, cujus confirmandi gratiâ*

tiâ juramentum coactum apponitur, non obligat; sequitur quod neque juramentum ipsum obliget.

Antecedens est, & probatur: Quia per injuriam non potest acquiri jus contra eum qui patitur injuriam. E.

Consequentia probatur ex illo vulgato: Quod juramentum sequatur naturam actûs, cui adjicitur, illiusque conditiones & qualitates omnes recipiat.

Resp. verò negando consequentiam. Non est de essentia & ratione juramenti ut immediatè obligationem alicujus confirmet; sed ut hominem ad efficiendam veram enunciationem eam, in cujus confirmationem fuit adductum, impellat: Et veluti ex consequenter quoque obligationem promissionis respiciat. Uti docet *Gregor. de Valentia Tom. 2. disp. 2. punct. 4.* Deinde si sine juramento latroni quis promittat, ad solutionem quidem non tenetur, si tamen velit, non peccat in conscientia, cum solvit. E. si juramentum promissioni appositum sit, ut aliquis illius sit effectus, tenetur. Uti notat. *Frantzkius var. resol. l. 2. n. 37.*

§. VI. III. *Si non implere promissionem juratam est perjurium. E. simpliciter promissionem non implere erit mendacium.*

Ast falsum est consequens, cum nemo dixerit, illum peccare & mentiri, qui non solvit latroni per vim & metum promissum, cum per injuriam extorsionis non potuit obligari. E. & antecedens. Consequentia probatur, quia juramentum non facit suam materiam esse mendacium, sed supponit. Unde ratione falsitatis evitandæ inter juramentum & simplicem loquelam nullam differentiam esse dicitur.

Resp. Negando consequentiam. Ratio verò diversitatis est inter simplicem promissionem & juratam, quod illa respectum & ordinem habeat ad hominem, qui, si cogat, & promissionem extorqueat, injuriam infert, & inde, quia nullus subest actus virtutis, promittens ad executionem promissi non tenetur: Hæc verò in ordine quoque ad Deum fiat, & illi obligationem producat, quam homo propter reverentiam Dei exsolvere tenetur. Unde quoad veritatem facti seu impletionis juramentum & simplex loquela maximè differunt. Et perjurium, juramento hujusmodi oppositum, non tam est propriè mendacii, quam potius infidelitatis & irreverentiæ erga Deum, quæ in simplici loquela, quam promittens ex supra dicta causa non adimplet, nulla esse potest.

§. VII.

§. VII. IV. *Quodcumque juramentum est contra bonos mores, & vinculum manifesta iniquitatis, tum ex parte latronis, tum ex parte jurantis; illud non est obligatorium.*

Atqui juramentum coactum est contra bonos mores, & vinculum iniquitatis, tum respectu latronis, qui per vim & metum illud exegit, quod patet: tum jurantis, qui impletione sua extorquentis iniquitati cooperatur, & in perniciem reipublicæ suis impensis communem humani generis hostem audaciorem reddit, & in proposito confirmat. Per regulam vulgatam: Quod præbens materiam peccandi, proximi cooperetur peccato. E.

Resp. Negando, quod impletio hujusmodi juramenti sit contra bonos mores, & participet de peccato latronis, aut illum ad peccatum inducat; quia promittens & solvens hæc planè non intendit, sed necessitati saltem suæ, ut à præsentis periculo se liberet, succurrit, sicut & conscientia, ut obligationi, quæ Deo tenetur, satis fiat. Unde regula illa, quod peccati materiam præbens peccato cooperetur, hîc fallit: Quemadmodum & in multis casibus, de quibus fusè tractat *Valentia Tom. 2. Disp. 5. q. 21. punct. 4.*

§. VIII. V. *Cultus divinus coactus Deo non placet.*

Juramentum coactum foret coactus cultus divinus.

E. *Juramentum coactum Deo non placet.*

Et si non placet: Talis jurans ne quidem Deo obligatur. Unde applicare hîc quidam solent illud, quod suprâ adduximus, Germanorum, *Ein gezwungener Eyd/ ist Gott leid.* Resp. ad majorem concedendo eam veram esse, si de coactione propriè & rigidè sumpta, quæ sine omni consensu sit, intelligatur. Hujus generis sacrificia, etiamsi bona, Deo non placent; non verò de illa, quæ secundùm quid talis est, & consensum aliquem includit: Sicut ergò procul dubio sacrificia idololatrica facta per metum damnant, etiamsi sint coacta secundùm quid; ita à contrario sensu in se bona & religiosa, etiamsi per metum fiant, approbat. *Vid. Suarez. l. 2. de Jur. c. 10. n. 18.*

§. IX. VI. *Si in casu necessitatis, ubi vis infertur, & periculum aliter evitari nequit, licitum est, salvò præceptò quintò, alterum lædere & occidere; sequitur, quòd etiam in casu necessitatis, ubi vis infertur, & periculum aliter evitari nequit, licitum sit jurare, & salvò secundò præceptò nomen Dei in vanum sumere.*

F

Antec.

Antec. est, E. & conseq.

Consequentia probatur. 1.) Sicut enim occidere est contra quintum præceptum, & tamen illud non violatur, nisi quis sciens & dolò malò, vel certè ob aliquam culpam occidit; Ita & circa secundum præceptum idem est dicendum, quòd scilicet is demum perjurium committat, qui illud sciens & dolò vel culpà quãdam intercedente transgreditur. 2.) non minus in necessariã defensione quãdam est electio, ex qua interuersionem alterius, vim passus, pro conservatione vitæ propriæ eligit.

Resp. 1.) Quòd quis absque violatione quinti præcepti inculpata tutelã possit alterum occidere, id inde est, quia homicidium est indifferens: Datur enim homicidium honestum & licitum, quod proinde præceptò quintò non prohibetur; cuiusmodi est supplicium delinquentium, & quando necessariã defensione alterum interficio. Datur verò etiam homicidium inhonestum & illicitum, quod respicit præceptum divinum de non occidendo. Ast profanatio nominis divini non est ita indifferens, sed pertinet ad inhonestum in se & absolutè tale, unde nunquam poterit dari casus, ubi illa sit honesta & licita. Ab eo ergò, quod est indifferens, malè instituitur collectio ad id, quod est in se & absolutè tale. 2.) Diversa est ratio occisionis per necessariam defensionem factæ, & juramenti per vim & metum extorti. Illic enim major necessitas est, dum inuasor directè vitam & jugulum inuasi petit, & inuasus nullam aliam viam, quàm per defensionem & occisionem elabendi habet; Hic autem vita directè non petitur, & ita pecunia magis spontè promittitur, illiusquæ solutio est in potestate jurantis, per quam reverentiæ nominis divini satisfieri potest: Vitæ verò semel per defensionem ablata restitutio impossibilis est: Ergò & ad nihil præterea defendens tenetur, & obligatus est.

§. X. Tametsi verò in his jam deductis omnes Theologi stent à partibus nostris; si tamen in specie descendimus ad silentium juramento coactò promissum. In eo Theologos quosdam offendimus quoque dissentientes. *Balduinus Cas. Consc. l. 2. cap. 9. cas. 12.* qui aliàs vult obligare juramentum, quò latroni promissimus certam pecuniæ summam; quando quæstionem illam affert: Quòd si verò, inquiens, jurarit insuper silentium, se factum hoc magistratui non revelaturum? Respondet. Difficile esse hòc in genere certi quid statuere. Tutiùs tamen videri,

ri,

ri, si silentium non præstet, sed magistratui latrones indicet, etiamsi se non facturum jurarit. Rationes affert: Quia hoc juramentum sit de re illicita, speciemque habeat alicujus collusionis cum latronibus, & si vel maximè talis collusio absit, justitiam tamen impediri, improbos in malitiâ suâ confirmari, & proximo in discrimen vitæ incidendi occasionem dari. Et sic multis modis in pietatem, justitiam & charitatem proximi obligationem peccare. Ad eundem modum difficultatem solvit *Casp. Erasm. Brochmannus Syst. Theol. tom. 2. c. 9. q. 4.* liberatus es à juramento, quod societati humanæ atque salutis & commodo proximi noxium est, e. gr. Si è manibus latronis elabaris, sed hâc conditione, ut jures, quod ipsum non sis proditurus, non te obligat juramentum. Tuò enim silentiò perdis alios, quibus postea insidiari potest latro & opprimere incautos. Argumentum foret tale:

Cujuscunque juramenti obligatio violaret 1.) pietatem, 2.) justitiam, 3.) charitatem proximi, illius obligatio nulla datur.
Atqui juramenti coacti obligatio, quâ nos obstrinximus ad silentium, foret talis. E.

Major probatur, quia juramenta non debent esse vincula iniquitatis, neque justitia, amor proximi, & commodum publicum, sunt negligenda.

Minor verò anticipando fuit probata.

Resp. ad 1.) Quòd peccet in pietatem ejusque probationem, quia hoc juramentum præstitum sit α) de re illicita: Negando. Ostendimus enim supra, quòd potius concernat rem licitam: Quod si enim foret de re illicita, ne quidem juramentum foret præstandum. Præstari verò posse evincitur, quia materia ejusdem est honesta. Honestum, conservare vitam; medium quoque est honestum, per juramentum quò silentium promittitur. Ita enim tertius non læditur, quatenus, si non jurassem, vitam meam amissem, & salutem tertii promovere haud potuissem: quippe à me mortuo moneri non poterat. β) Speciem habet alicujus collusionis cum latronibus. Sed cum hoc fundamentum ipse Baldinus corrigat, nolimus nos responsionem superaddere.

Ad 2.) Quòd peccet in justitiam α) eam impediendo, quò minus justæ pœnæ tradantur delinquentes. Resp. quod differtur, non aufertur; Etsi reipublicæ intersit, ne delicta maneant impunita, putamus tamen non præcisè per eum, qui silentium juravit, latronem,

ad supplicium esse trahendum: Expectandum potius, quando & quomodo Deus dignissimæ poenæ illum velit subicere. β) Improbos in malitia sua confirmando. Resp. id fit per accidens.

Ad 3.) Quòd peccet contra charitatem proximi, quia societati humanæ atque salutis & commodo proximi est noxia. Resp. non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Non profanandum nomen DEI, ut conservetur vita. Tabula enim secunda cedit primæ; & prima derogat secundæ. Accedit, quòd per manifestationem generalem possit is, qui juravit, vitæ alterius consulere.

§. XI. Poterant quidem adhuc alia, quibus thesis nostra impugnari solet, afferri; sed cum ea partim iisdem responsionibus refutari queant, partim ab aliis jam refutata sint, hîc filum abrumpimus. Interea verò Benevolum Lectorem obnixè rogamus, velit ea, quæ perspicaciori intellectûs ejus lumini non satis probare sese poterunt, imbecillitati ingenii nostri condonare, & peramanter meminisse, tantam nobis nondum affulisse mentis lucem, quâ abstrusam juramenti coacti materiam eâ, quâ par erat, perspicaciâ lustrare & perlustrare potuerimus.

DEO verò sit laus, honor & gloria!

Corrigenda.

Impium pro impius, Pref. habere pro haberi. C.I. Memb.1. §.1. lin.7. violente pro violento. C.1. M.1. §.4. l.2. falsacia pro fallacia. C.1. M.2. §.1. iniquitatem postulationis: supple: de re tripliciter possibili, ostendere, C.1. M.2. §.5. l.18. affectorium pro assertorium. C.1. M.2. §.9. l.6.7. Juramentâ pro juramenta. C.2. M.1. §.1. l.24. ex consequenter pro consequenter. C.3. M.2. §.5. l.12.





Leipzig, Diss., 1688

ULB Halle
004 777 085


3



f
sb.

UON







170.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO MORALIS,
De

1688, 18

5
22

JURAMENTO COACTO,

Quam
Inclytæ Facultatis Philosophicæ
indultu

In Academia Lipsiensi

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
subjiciunt

PRÆSES

M. CAROLUS ANDREAS

Medel/ Hallensis Saxo,

&

RESPONDENS

JOHANNES GEORGIUS MÜLLERUS,

Dresdensis Mistr.

Philos. & LL. Studiosus,

Die VII. Julii Anno M. DC. LXXXIIX.

In Collegio Principum Majori.

TYPIS GOEZIANIS.

